COMPEN
DIOSA FACILISQVE ARTIS
Dialecticæ ratio, in puerorum grati
am nunc primum conſcripta,
a Conrado Neobario.

Argentorati in ædibus Vuendelini Rihelij,
Anno M. D. XXXVI.
Menſe Auguſto.

CONRADVS NEOBARIVS
Euerhardo Heriſbachio, adoleſcenti optimè de ſe merito
S. D. P.

CVm ſingularem tuam erga me beneuolentiam animo complector, haud facilè dixero, quanto officij compenſandi ſtudio accendar, ne uel ingratus eſſe uidear, uel tuorum in me beneficiorum magnitudinem non intelligere, quorum alterũ animi improbi, alterũ ſtupidi fuerit ingenij, utrũq; uerò certum ingratitudinis argumentum: à qua ut hactenus ſemper abhorrui, ita nunc maximè alienus eſſe cupio. Indies enim magis magisq; intelligere mihi uideor, quantum in hoc uitio turpidinis omnium ferè ſapientum teſtimonio poßitum ſit: adeò equidem, ut uel nullam pro accepto beneficio reponere gratiam, uel ipſũ grato ſaltem animo non recolere, hominis eſſe putem grauiter in communem uitæ ſocietatem delinquentis. Nam liberalitatem præſtantißimam illam iuſtitiæ portionem (qua & amicitiæ ſolidæ ineuntur, & initæ cõſeruantur incolumes) ſicuti gratitudo confirmat augetq;, ſic contra ingratitudo infirmat, ac abolet. Hæc labaſcens unà ſecum in ruinam pertrahit utilißimam illam, maximeq; ſecundum naturam, officiorum commutationem. Quibus è uitæ conſuetudine ſublatis, quid quæſo, ad reipublicæ incolumitatem

præſidij reliquum fuerit, cum totius uitæ ratio, & communis hominum inter ipſos ſocietas, mutuis operis, & officiorum communicatione maximè contineatur? Quare uiri ſapientes, naturam ſecuti ducem, multiplicem gratitudinis rationem in rempublicam intulerunt: nempe aliam habendi, agendi aliam, tertiam deniq; referendi gratias, ut omnem ingratitudinis occaſionem, in uniuerſum à communi uitæ conſuetudine remouerent. Hanc quoq; rationem ſecuti, ſapientiſſimi Perſarum reges, legibus ſanxerunt, ut extremo ingrati ſupplicio afficerentur, quod nullos uel cum natura uerius pugnare, uel in rempub. grauius peccare cenſerent. Nam & in uniuerſa propè rerum natura, gratiarum ratio quædam ceu ueſtigia extant, et nemo uel maius reipublicæ periculum intentat, uel ſeditionem uerius conciliat, quàm qui gratitudinem, concordiæ atq; beneuolentiæ obſidem quandam, aut improbitate uiolat, aut non pro uirili promouet. His equidem (ne plura complectar) rationibus adducor, ut magnopere cupiam, grati aliquod animi ſpecimen exhibere, ne uel naturæ repugnare, uel in rempub. impius eſſe uidear: utrunq; enim extremi foret ingenij. Quare cum nulla ſit mihi alia facultas animi grati, mutuiq; amoris declarandi, à fortuna conceſſa, ingenioli mei fructum aliquem tibi offerendum duxi, perexiguum quidem illum, fidelem attamen mei in te amoris teſtem. Hos itaq; de ratione diſſerendi commentariolos ſucciſiuis operis conſcripſi, quos tibi,

tuæq́; commiſsis fidei, claris adoleſcentibus dedico, ut & tibi docendi laborem comminuam, & illis facilem quandam diſcendi rationem ſuppeditem, qua ueluti organo inſtructi, reliquum ſtudiorum curſum magno cũ fructu abſoluant. Quanquam in hiſce ſcribendis, non modo tuæ ſcholæ, aliquantum in ſtudijs progreſſæ, ſed rudibus quoq; ingenijs, præceptionem omnem accommodauimus: tum quod nobis ingenium contigit ſterilius, quàm ut aliquid gignat erudito lectore dignum: tum ut eadem opera & amico ſingulari gratificaremur, & animum noſtrum, in ſtudioſam iuuentutem beneuolum oſtenderemus. Temperauimus itaq; nobis, quantum licuit, ab intricatis, otioſisq́; dialecticorum quorundam argutijs, ut uel hoc nomine pueros ad artem omnium profeſsionum inſtrumentum facilius pertraheremus, ſi præceptionum compendio, ac facilitate diſcendi laborem nonnihil adiutum expeditumq; ſentirent. Habes & quæ me rationes ad ſcribendum perpulerint, & quod in commentãdo ſecutus ſim conſiliũ, reliquum eſt, ut & hoc mutuæ inter nos conſuetudinis teſtimoniũ, candido animo ſuſcipias, & de mea opera ſtudioq; pro tui animi candore, benignè, ciuiliterq́; iudices. Vale. Luteciæ ex ſcuto Baſilienſi. M. XXXV. Prid. Cal. Iun.

CONRADI NEOBARII ARTIS DIalecticæ liber primus, de iis rationibus, quibus ſimplicis quæſtionis enarratio continetur.

Euerhardus præceptor. Sibertus diſcipulus.

Sibertus.

SEpenumero dici abs te memini, præceptor colende, in omni arte, & legitimè conſtituenda, & perdiſcenda utiliter, ſtatim ab initio de eius uſu fineq́; cui deſtinatur, atque facultate quam profitetur, inquirendum diligentius: his enim deprehenſis, in promptu eſſe, totius artis rationem exacta methodo conſtituere. Quandoquidem igitur, me de ratione diſſerendi, quam dialecticen uocant, abs te quærere iubes, ea quæ ex me ſoles in familiari congreſſu interrogare, idem planè quærendi conſilium ſerıemq́; rerum methodicam, in hoc mihi ſermone ineundam exiſtimo. Primum itaque abs te peto, quis tandem huic arti finis ceu ſcopus præpoſitus ſit. E. Diſſerendi facultas, id eſt, methodica & expedita thematis cuiusq́; explicandi ratio. Hinc & officium eius atq; profeßio liquet, nimirum ut ſtudioſis, & diſcendi & docendi inſtrumenta atq; rationes ſuppeditet. S. Sed quotuplicia ſunt themata, in quibus enodandis omnis artium omnium profeßio conſumitur? E. Duplicia ferè,

Finis Dialecticæ & officium.

Quæſtionis diuiſio.

altera ſimplicia, quæ ſimplicem ſenſum animo, conceptumq́; offerunt: ut cum dei, fati, naturæ, uirtutis ratio inquiritur: altera ex ſimplicibus compoſita, ut ſi in quæſtionem uocetur, ecquid deus omnia gubernet, ecquid fato omnia ſint obnoxia, ecquid uirtus honeſtæ actionis inſtrumentum ſit. Sib. *Teneo quæſtionum duo eſſe genera, uerum quot inſtrumenta, hiſce pertractandis ſuppeditat* Dialectica? E. *Tria, quorum duo, definitio & diuiſio, ſimplicis: argumentatio compoſiti thematis notitiæ, fideiq́; eruendæ conſtituitur. Ad hæc igitur tria capita ceu fontes, omnis de diſſerendi ratione præceptio referenda eſt.* Sib. *His ita conſtitutis, id uelim porrò mihi explices, quem reliqui ſermonis ordinem uelis conſtitui, ut in quærendo à dictionis rerumq́; dicendarum filo minimè recedam.* Euerhar. *Locus quidem exigeret, ut primum de finiendi, ſub hæc de diuidendi rationibus perquireres: uerum expeditior harum rerum tractatus poſtulat, ut prius de rerum communione, & quaſi cognatione, itemq́; de ipſarum appellationibus ſeu titulis explicetur: quorum alterum prædicabilium, alterum prædicamentorũ (hæc enim ſcholis iam trita nomina ſunt) tractatus copioſè ac eruditè præſtat.* Sib. *Quid igitur eſt prædicabile?* Euerh. *Titulus ſeu nomen uocum communium, quæ in oratione de ſibi cognatis certa ratione dicuntur. Iam quandoquidem magnus eſt numerus uocum cognatarum, quæ de eodem uocabulo in oratione ſubiecto, legitimè quidem, attamen non eadem ueritatis ſeu cognationis*

Tria eſſe diſſerendi inſtrumenta.

Ordo primi dialogi.

prædicabile quid.

tionis neceſsitudine, pronunciantur. ideo & plures titulí ab hominibus eruditis conſtituti ſunt, quibus uocum rerumq́; inter ſe cognationes & habitudines diſertè ſignateq́; diſtinguerentur. Sib. Teneo, *ſed quot nu merant uocum cognatarum titulos?* Euerb. Quinque. *Sib.* Quos cedò? E. Genus Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens. *Sib.* Quid eſt genus? Euer. *Titulus ſeu appellatio attributa uocibus cõmunibus, quæ non ſecus cum præſenti themate cohærent, atq; cum filio parens.* Nam ut hic ordo, *naturæ peculiaris eſt, ut à prioribus ceu parentibus ad poſteriora, tanquam ſobolem, gradibus quibusdam progrediatur, conſimili pacto mens quoque & ars omnis, naturæ imitatrix, ordine quodam rerum imagines concipit, & gradibus quibuſdam ita collocat, ut aliæ ex alijs, ueluti ex parentibus nati, procreari uideantur.* Hac ratione *animal de homine, aſino, equo, leone: color, de nigredine candore: morbus de pleuritide, apoplexia: ſubſtãtia de corpore & ſpiritu, in oratione dici poteſt.* Sib. Quotuplex eſt ratio generis? Euerb. Duplex, *nam genus aut medium eſt aut ſupremum: uel (ut receptis ſcholarum uerbis utamur) genus omne aut ſubalternum, aut generaliſsimum eſt.* S. Quod eſt genus ſupremum? E. *In ſingulis rerum ordinibus communiſsima uox, quæ ſui communione, omnia eiuſdem ordinis uocabula ſub ſe comprehendit, non ſecus atq; in familia nobili & locupleti, tritauus ordine ſubiectos habet filios, nepotes, pronepotes, atq; his ſuccedentes perſonas.* Sib.

Numerus prædicab.

Genus.

Generis ratio duplex.

Genus ſupremum.

Quæ huius rei proponis exempla? E. *Primum ſuma il la rerum omnium genera, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, actionem, paßionem, reliquoſq; prædicamentorum titulos.* Deinde *ſingularum item artium ſuprema quædam genera conſtituēda ſunt, ex qui bus p media ad infimas uſq; ſpecies, theorematum partitio deducenda eſt.* Sib. *Quæ ſunt genera media?* E. *In ſingulis rerum cognatarum ordinibus, uocabula intra genus ſupremum & ſpecies infimas, conſtituta.* Quorum *hæc ſanè ratio eſt, ut ad ſuperius quiddam relata, ſpeciei: ad inferiora generis appellationem ſortiantur.* Sic *arboris nomen ad plantam collatū ſpeciei, ad pomum, pirūq; relatum, generis rationem induit.* Sib. Teneo *equidē finitionem generis, ſed ſpeciem quam uocas?* E. *Titulum uocum communium, quæ non ſecus cū præſenti quæſtione cohærent, atque cum parente ſoboles.* Sib. *Quot ſunt ſpeciei formæ?* E. *Totidem prorſum quot generis: nam alia infima eſt, alia media, ſiue ſubalterna, cuius eadem ratio eſt quæ generis medij.* S. *Quam uocant infimam?* E. *Nomen ſeu titulum uocū communium, quæ proximè de pluribus numero differentibus in quid prædicantur: ut homo de* Petro *&* Paulo*: ut equus, de hoc & illo equo, in quæſtione quid eſt dicitur.* Sib. *Quæ tandem numero differunt?* Euerb. *Induidua, ut ſunt quæcunque natura uel ars quotidie gignit, atque producit, quæque non tam mentis qnam ſenſus iudicio, uſuiq; communi expoſita ſunt.* Atque *hæc ab artibus propter infinitionem*

Genus medium.

Species.

Indiuidua.

infinitionem ſecluduntur: quæ naturæ imitatrix, rem ſubiectam quoad licet, certis deſcribit limitibus. Ideoq; omnis artis materia, ſupremis generibus & infimis ſpeciebus ueluti terminis comprehenſa eſt. Sib. *Abſolutis graduum titulis, proximum eſt, ut nomina exponas, quibus graduum diſcrimina, functiones, figuræq; diſerte exprimantur.* Euerhardus. *Tribus nominibus ſeu titulis tota res continetur, differentia, proprio, & accidente.* Sibertus. *Quid eſt differentia?* Euerhard. *Titulus uocum communium certa rerum diſcrimina, ſeu formas ſignificantium, quibus natura & ars, res à ſe mutuo diſtare uoluerunt. Quare ſi quis abſolutam rerum cognitionem expetit, ſedulo nauet operam, ut in profeßione, quam diſcendam ſuſceperit, rerum differentias exacte conſtituat: à quibus abſoluta rei cuiuſq; noticia proficiſcitur. Quid enim aliud eſt noſſe, quàm certa rerum diſcrimina, quibus aliæ ab alijs differant, tenere animo comprehenſa?* Sib. *Quotuplex offertur differentia in diſcendis profeßionibus?* Eber. *Duplex maxime, uera una & propria, quæ à forma rei proficiſcitur: altera mutuaticia, ac periphraſtica. Nam cum uera differentia deſtituimur, cauſas, uel partes, uel accidentia tantiſper cõgerimus, dum perfecti diſcriminis uice defungi poſſint. Cæterum differentiæ uarietas in finiendi præceptionibus explicabitur plenius.* S. *Quid eſt proprium?* Euerh. *Titulus uocum communium, propriam rei cuiuſq; functionis ſeu actus facultatem ſigni-*

Indiuidua ab arte ſecluſa.

Differentia

Differẽtiæ cõmoditas.

Varietas differẽtiæ.

Proprium.

ſicantium. Vt riſibile hominis, hinnibile equi, latrabile canis propria quædam functio, aut functionis ſanè facultas putatur. Ac ut res quæq; perfectiſsima eſt, ita à natura uel arte plurimis quoq; functionibus, ſeu officijs deſtinatur. Sic homini natura indidit facultatem ridendi, loquendi, cognoſcendi, diſſerendi, & id genus efficiendi conſimilia. His enim ſingulis homo à cæteris animalibus differt. Sibertus. Quid inter proprium & differentiam intereſt? Euerhar. Differentia titulus eſt, uocum communium rerum formas (quæ altera naturæ pars eſt) ſignificantium: at proprium eſt titulus uocum item communium, quæ actionis rei cuiuſpiā propriæ facultatem exprimunt. Cæterum differentiarum inopia facit, ut promiſcuus utriuſque in diſſerendo uſus ſit. Nam ipſa rei cuiuſque forma, à qua & differentia deriuanda erat, in natura abſtruſior eſt, quàm ut humanæ mentis acumen, ſeu imbecillitas potius, ad eam penetrare queat. Ideoq; optima cognoſcendi facultate, id eſt, differentia propria deſtituti, ad uicina rerum diſcrimina confugimus: quorum ut quodq; differentiæ proximum, reiq; maximè fuerit proprium, ita ad eius quoque noticiam diſtinguendam, plurimum contulerit. Sib. Habeo equidem proprium & differentiam, haud ſuperſtitioſe diſtinguenda: iam cedo, quot requiruntur conditiones, ut uocabulum differentiæ, aut proprij appellatione ueniat? Euerhar. Vt ſoli, ſemper & in uniuerſum ei conueniat, cuius reſpectu proprij aut differentiæ rationem

Cōditiones proprij.

tionem ipſum ſortiri uolumus. Ac quoties id uno uoca bulo fieri non licebit plures congeremus uoces, quæ & ſi non ſingulæ, coniunctæ tamen hiſce conditionibus, de re præſenti dici queant. Sib. Quid eſt accidens? E. Titulus ſeu appellatio, cõmunibus cognatisq́; attributa uocibus, quæ ita rei cuipiam adhærent, ut ei modo ineſſe, modo detrahi poßint citra ſubiecti noxam. S. Quæ ſunt accidentiũ partitiones? E. Plures ſanè, uerum nos in præſentia has perſequemur, ut accidentiũ, quædam actus, quædã formas quaſdam, ſeu affectiones rerũ deſignent. Hinc alia corporis atq; materiæ, alia animi ſeu ſpiritus cõditiones habeant. Deinde alia ſeparabilia, ut in pariete candor, in aqua calor. Alia contrà, dicantur inſeparabilia actu, quæ ratione animiq́; conceptu à rei, cui inſunt, natura ita diſtrahuntur, ut ipſi nihil officiatur. Sic niuem atram, picem candidam, cignum nigrum, coruum intelligo candidum, integra ſua cuiuſq; natura. S. Teneo equidem prædicabilia non eſſe abdita quædam naturæ myſteria, ſed uocum communium, atq; inter ſe cognatarum quoſdam quaſi titulos, quibus in diſcendis artibus, rerum cognatarum, tum gradus, tum diſcrimina diſerte conſtituantur: uerum de horum uſu nonnihil ediſſeras uelim. Nam hanc dialecticæ partem, ob uſus commoditatem plurimum ſemper laudibus extuliſti. Eucr. Confert ſanè hic tractatus uniuerſæ diſſerẽdi rationi uſum longe maximum, quem in præſentia quatuor generibus comprehendam. S. Quem igitur primum huius tra

Accidens.

Varietas accidentium.

Prædicabilia quid?

Vſus prædicabilium maxime eſt quadruplex.

1. Vſus. ſtatus uſum ſtatuis? Euer. Quod intelligẽdis finien di diuidendiq; rationibus cõmentarij uicem præſtat. Illic enim generis mentio fit, ſpeciei, differẽtiæ, proprij, & accidentis, quorum nihil aſſequitur is, qui ſingulorum

2. Vſus prædicabilium. rationem non ante didicerit. Sib. Quis eſt ſecundus prædicabilium uſus? E. Facultas de orationis mate ria iudicandi: uel, ut planius dicam, racio diſtinguendi propoſitionem ueram atq; neceſſariam, à falſa & con tingenti. Quæcunq; enim uel generis, uel ſpeciei, uel differentiæ, uel propij titulo ſeu appellatione commu nicant, ad ſubiectum orationis terminum relata, natu rali quadam & neceſſaria copula ipſi deuincta ſunt, ita ut de ipſo legitime uereq; ſemper dicãtur. Contrà, prædicatum accidens cum ſubiecto fortuita affinitate coniunctum eſt: ideoq; non efficit orationem certã &

3. Vſus. neceſſariam. Verum de his infra explicatius. Sib. Dic igitur tertiam harum uocum cõmoditatem. E. Hinc medij ſyllogiſtici, ſeu argumenti inuentio depromitur, facili & perſpicua methodo. S. Qua id tandem ra tione colligis? E. Nam medium ſeu argumentum in diſſerendo huiuſmodi eligendum eſt, quod certa quadã ueluti cognatione ſeu affinitate cum altero, ut minimũ probandi thematis uocabulo cognatum ſit. Atqui præ dicabilia ſunt cõmunes quidam tituli ſeu indices, qui bus uocum inter ſe cognationes ſignatè diſtinguũtur. Quare hinc facile conſtituetur inueniendi ratio, tum perſpicua, tum methodica. Verum & hanc rem infra, cum locus exiget, diligentius perſequemur. S. Reli

quus

quus igitur eſt quartus prædicabiliū uſus, de quo uelim dicas explicatius, quod ipſum uberrimum eſſe ſtatuo. E. Eſt certe non minimus, quare in eo pertractando tuæ uoluntati lubens morem geram, remq; certa quadā expediam methodo. S. Qua tandem quæſo? E. Omnis profeſſio, quæ artis nomen meretur, eſt methodica rerum conſtitutio, & ordo uocum inter ſe cognatarum, quarum aliæ ex alijs naturali ueluti propagine deriuantur: aliæ ordine iam conſtitutas, ueluti notæ à ſe mutuo diſtinguunt. Illæ generis & ſpeciei, hæ differentiæ, proprij, & accidentis appellationibus cenſentur. Hoc ordine Galenus poſt Hippocratē medicorū facilè princeps, cum uniuerſam rem medicam, tum ſingula ferè membra pertractat. Sic Ariſtoteles Phyſicen & Ethicen. Iuſtinianus prudētiam iuris cōſtituit. Quare ſtudioſus adoleſcens, in diſcēdis artibus, id ſedulò operam dabit, ut cuiuſq; thematis naturam in hoſce titulos diſtribuat. Primum igitur genera notabit, & ex his ſubiectas formas ſeu ſpecies diducet. Deinde hæc ipſa differentijs, proprijs, deniq; & accidentibus, ſi opus erit, diſtinguet. Verum et hæc alibi fortaſſe pluribus, modo ad reliquam huius artis rationem accingamur. Expoſitis itaq; uocum cōmunium titulis, ad rerum ſeu uocum cognatarum ordines, & quaſi claſſes accedamus, quæ prædicamenta, nomine iam uſitato nuncupamus. S. Quæ igitur eſt huius nominis ratio? E. Prædicamentum à prædicando deriuatum uocabulum eſt, quod ſignificat alij aliud declarādi cauſa in oratione tribuere.

4. Vſus prædicabilium.

Dē prædicamentis.

Hinc & poſterior enunciationis terminus, prædicatus à dialecticis appellatur, quòd priori quaſi titulus quidam declarandi cauſa tribuatur. Iam quæ interpretandi gratia in orationem adhibentur, communia debent eſſe uocabula, atq; cognata. Idcirco prædicamenta dicta ſunt, quòd prædicatorum ordines, hoc eſt, uocum, tum communium, tum cognatarum ſeriem complectantur, quarum ſuperiores inferioribus explicandis in oratione rectè tribui poßint. Sib. *Si ſatis commemini, & prædicabilia uocum ordines ſupra dixiſti, quid igitur inter hæc & illa intereſt?* Euerh. *Prædicamenta continent uocum communium & cognatarum ordines, iiſdem planè nominibus, quibus in ſingulis artibus & profeßionibus uſurpantur. Prædicabilia uocibus in prædicamentis ſuo ordine conſtitutis, appellationes Dialecticas impartiuntur. Sic in ſubſtantiarum claſſe uocabula phyſica, ordine naturæ artiq; conſentaneo diſtributa ſunt: nimirum ſubſtantia, ſpiritus, corpus, corpus animatum, planta, arbor, herba, frutex, reliquaq; eius generis nomina. His ipſis prædicabilia appellationes dialecticas communicant, nempe generis, ſpecici, differentiæ. Ideoq; & ſupra definiuimus prædicabilia ſeu titulos, ſeu indices, ſeu nomina quædam uocum communium, & inter ſe cognatarum.*

Differentia prædicam. & prædic.

Quanquam interim prædicabilia plures appellationes continent, quàm ſinguli prædicamentorum ordines poſtulant, in quibus uoces maximè cognatæ, ſeu manis cognationum gradus, atq; propria horum diſcrimina

Quæ uocũ cognatiões in prædicamentis contineantur.

mina recẽſentur: quæ aut generis, aut ſpeciei, aut diffe rentiæ nominibus ueniunt. Hæc enim tria intima artis elementa ſunt, ſolidamq; ferè rei cuiuſque notticiam abſoluunt. Diligenter itaque in omni profeßione, quam utiliter diſcendam ſuſceperis, ipſa tibi perquirenda memineris. Sibertus. Sunt ne in prædicamentis omnes rerum omnium cognationes neceſſariæ congeſtæ? Euerhardus. Minime, ſed ſumma quædam genera, hisq; nonnullæ ſubiectæ ſpecies. Nam omnes uocum omnium cognationes percenſere, & operis fo ret propè infiniti, & aliarum artium profeßioni ſubiecta materia eſt. Sibertus. Quo igitur conſilio prædicamentorum ordines à uiris eruditis conſtituti ſunt? Euerhardus. Vt ſtudioſis adoleſcentibus proponerent uerum diſcendi modum: tota enim hæc ars in formandis ſtudij rationibus conſumitur. Quare ſicuti hoc loco philoſophi immenſam uocum ſeu rerum uarietatem, decem ſummis generibus diſtinxerunt, ac ſuas cuique ſpecies aliquot, ueluti parentibus liberos ſubiecerunt, adiectis differentijs, ita nimirum & bonarum artium canditati, ſuam quiſque profeßionem, ſummis quibuſdam generibus comprehendent, hisq; ſpecies differentijs notatas ſubijcient, tantiſper dum à ſummis generibus, ceu fontibus ad infimas ſpecies, quaſi artis elementa deuenerint. Hic nanque ordo naturæ conſentaneus eſt, ueraq; diſcendi ratio cenſetur, ut mens ex communibus, ijsq; nottoribus conceptus, paulatim minus communes imagi-

Vſus prædicament.

nes formaſq; colligat. Hunc ſanè rerum ſeu uocum ordinem ſi quis legitime conſtituerit, in diſſerendo minime hallucinabitur. Inferioribus enim ex ſuperioribus, & contrà, his ex illis mutua fides aſtruitur. Sib. *Perplacent hæc de prædicamentorum uſu: ſed hoc unum ſuperioribus adijcias uelim, qua tandem occaſione effectum ſit, ut ſingulæ ferè artes, certis quaſi limitibus comprehenſæ ſint, quorum alij ſupremi, alij ex illis ueluti ex fontibus riuuli deriuati, conſiſtant infini.* Euerhardus. *Nam ſicut uniuerſa rerum natura infinitionem (licebit enim ſic cum* Cicerone *loqui) maxime abhorret, ac certis eſt circumſcripta terminis, ceu regionibus, ita ars quoque omnis, & huius effector ingenium (utrunque enim naturam imitatur) in diſcendo rerum quandam finitionem magnopere expetit. Nam & infiniti nulla eſt ſcientia, & mentis deſyderium, cognoſcendiq; ſtudium non ante conquieſcit, quàm rerum naturas certis quaſi conceptuum limitibus definierit. Quare &* Philoſophi *hoc loco, cum diſcendi quoddam exemplum, & communem artis conſtituendæ rationem adoleſcentibus uellent proponere, ad prima rerum elementa ſeſe reuocarunt, & à ſummis exorſi, immenſam rerum naturam, decem generibus diſtinxerunt, ſingulisq; ſuam ueluti ſobolem uel cognationum gradus ſubiecerunt.* Siber. *Qua igitur uoce primam illam rerum ſeu uniuerſitatem, ſeu communionem efferunt?* Eucrher. *Rei ſeu entis nomine: quod deinde*

partiuntur in ſubſtantiam & accidens. Ac ſubſtantiæ rationem in unam referunt claſſem, accidentis uarietatem in nouem quaſi familias diducunt: qui numerus decem uocum, ſeu rerum ueluti domicilia conficit. Sib. His futuri ſermonis iactis fundamentis, de decem illis rerum, ſeu uocum ordinibus, quaſi colonijs ex te quæram ita tamen ut te rarius interpellem, quò & breuius, & expeditius oratione perpetua rerum partitiones conficias. E. Huius te uolo prius admonitum, uoces in prædicamentorum ordines diſtribuēdas, iuxta ſignificatū primarium, latiniq; ſermonis conſuetudine receptum: Deinde unam eandemq; uocem, prout aliter atq; aliter uſurpatur, modo in hunc, modo in illum ordinem poſſe referri. Sib. Teneo, ſed quæ eſt finitio prædicamenti ſubſtantiæ? Euerh. Ordo uocum cognatarum ſignificantium res per ſe exiſtentes, quas natura accidentium ueluti receptacula & fulcra quædam produxit: ut ſunt lapis, planta, corpus, & id genus conſimilia. Sib. Quæ eſt huius ordinis ſeries, & conſtitutio? Euerh. Ea hac tabella exprimitur.

Prædicamētorum conſtitutio.

Regula.

Subſtantia

- Corporea,
- Incorporea ut ſpiritus
  - Deus.
  - Angelus
  - Anima

Corpus,

- Compoſitum,
- Simplex,
  - Orbes cœleſtes.
  - Et ele=menta,
    - Ignis.
    - Aer.
    - Aqua.
    - Terra.

Corpus compoſitum,

- Animatum,
- Inanime ut
  - Metalla.
  - Meteora.

Corpus animatum,

- Sentiens,
- Senſus expers ut uegetabile
  - Arbor.
  - Herba.
  - Frutex.

Animal.

- Ratione præditum
- Expers rationis, ut brutum.
  - Volatile.
  - Aquatile.
  - Terreſtre

Homo, cuius indiuidua ſunt.

- Petrus, Paulus, Cicero, Plato, reliquiq; homines innumeri.

His rectè ſubieceris partes quoq; ſubſtantiarum: item fructus, ſemina, flumina, liquores, opera animalium, quæ non arte, ſed naturæ inſtinctu agunt: denique uniuerſam uictus, & medicamentorum rationē. Sibertus. Nunquid omnem ſubſtantiæ rationem complexus es? Euerh. Sum equidem, ſi generum diſtributionem intelligis. Species enim, ſingulasq; formas colligere, easq; notare differentijs, munus eſt phyſicis ſcriptoribus peculiariter attributum. Sic Ariſtoteles animalium hiſtoriam nouem, Theophraſtus plantarum, totidem uoluminibus, Plinius uniuerſam ſubſtantiam libris triginta ſeptem perſequutus eſt. In his legendis huius prædicamenti ordines pleniores efficies. Siber. Iam equidem intelligo Dialecticos in prædicamentis non abſolutos rerum ſeu uocum cognatarum ordines eſſe complexos, uerum communia quædam capita, ſerie quadam naturæ conſentanea collegiſſe, ad quorum imitationem, ſtudioſus adoleſcens in diſcendo, artium elementa ſeu theoremata conſtitueret. Sibertus. Verum quis eſt ſecundus ordo cognitionis? Euer. Quātitas, hæc eſt ordo accidentium, quibus ſubſtantia indiuidua præſertim, in partes & numeros diſtinguitur. Sibertus. Quæ eſt quantitatis partitio? Euerh. Hæc diuiditur in continuam & diſcretam. Continua eſt cuius portiones communi termino copulantur. Huius formas numerant lineam, ſuperficiem, corpus, locum, tempus. His nonnulli & motum addunt. Diſcretam quantitatem definiunt, cuius partes nullo cōmuni termino copulātur. De- Quātitas.

inde hanc in numerum & orationem deducunt. Sib. Quæ artes huius ordinis genera pertractant? Euer. Aſtronomia, Geometria, Arithmetica, Muſica, deniq; omnes diſciplinæ, quas mathematicas uocant. S. Sed qua methodo huius prædicamenti uocabula dinoſcam? E. In hanc claßem referes omnes uoces, quæcunq; aptè reſponderi poſſe uideantur, ad quod, quantum, hisq; conſimiles quæſtiones. Huius igitur ordinis erunt quæcunq; loci, temporis, numeri, menſuræ, ponderisq; rationem abſolutam præ ſe ferent. Sib. Quod eſt prædicamentum tertium? Euerh. Qualitas: in cuius ordinem diducenda ſunt uocabula, quæcunq; ad quæſtionem quale eſt, conuenienter reſpondentur. Sib. Hac finitione magnam ac propè immenſam uocum claſſem comprehendiſſe uideris, quam partitione quadam euolutam explices uelim. E. Huius quatuor genera ſeu modos ex æquo conſtituit Ariſtoteles, ut impeditam huius ordinis uarietatem, in plura genera diductam, facilius expediret. Sib. Quæ ſunt iſta genera, ſeu qui modi qualitatis? E. Habitus & diſpoſitio, naturalis potentia uel impotentia, paßio & paßibilis qualitas, forma & figura. Sib. Quid uocas habitum? Euerh. Corporis uel animi conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem, conſuetudine & actionibus iteratis comparatam. Ex qua finitione, duplex habitus ratio colligitur: corporis una, altera animi. Habitum corporis, ex Ciceronis, aliorumque ſententia uocamus, commodam agendi facultatem non natura datam, ſed ſtudio induſtriaq;

Qualitas.

4 genera qualitatis.

Habitus.

ſtriáque comparatam: qualis eſt palæſtrica, & conſuetudo chordas peritè tangendi. Cæterum animi habitus aut in intelligendi, ut artis & ſcientiæ præcepto: aut in deliberandi facultate perficitur, ut uirtutum, uitiorumque ratio. Sibertus. Quid diſpoſitionem uocas? Euerhardus. Viam quandam & inclinationem ad habitum: adeòque habitum inchoatum, ſed nondum ratione, uſuque agendi confirmatum. Huius itaque eadem prorſum, quæ habitus, uarietas exiſtit. Sibertus. Teneo equidem habituum communionem ſeu partitionem genericam, ſed quæ profeßio horum formas ſeu ſpecies enumerat? Euerhardus. Morales habitus, id eſt, uirtutes, hisque contraria uitia ex profeſſo docet Ariſtoteles in Ethicorum, Cicero in officiorum libris, alijsq́; nonnullis de philoſophia conſcriptis Dialogis. Reliquam habituum rationem obiter quoque enumerant philoſophi: ac ſingulis explicandis, ferè ſingulæ profeßiones deſtinantur. Sibertus. Quid eſt naturalis potentia? Euerhardus. A natura inſita, habilitas ſeu facultas actionem paßionémue ſuſcipiendi. Naturalis impotentia contraria ratione finitur. Vtraq; tamen uel corporis, eiúsque aut naturalis, aut animati, uitáque præditi: uel animæ eſſe cenſetur. Sibertus. Vnde igitur hi ordines locupletantur? Euerhardus. Ex potiore tum phyſices, tum rei medicæ profeßione. Huc enim ſpectant metallorum uariæ medicaminúmque & ſimplicium & mixtorum facultates: conſimiliter & animæ, ſeu potentiæ,

Diſpoſitio.

Naturalis potentia Quid & quotuplex.

ſeu facultates:quas Ariſtoteles, & Galenus diligenter perſequuti ſunt. Sibertus. Tertium genus ſeu modum feciſti qualitatum paßibilium,atq; paßionum: quæ igitur huc referenda putas? Euerhardus. Conſtantes, ac momentaneas, tum corporis, tum animi, ſiue diſpoſitiones, ſiue formas, quæ aut ſenſum, aut animum uariè afficiunt. Sibertus. Quot huic generi partes ſubijcis? Euerh. Duas, affectionem & ſenſus (ut uocant philoſophi) obiectum. Sib. Affectionem quam dicis? E. Animi aut corporis ſubitam, uel diuturnam, aliqua de cauſa commutationem: ut leticiam, cupiditatem, moleſtiam, metum, morbum, debilitatem, dolorem, quæq; genere in eodem reperiuntur. Hæc Cicero ex Stoicorum ſententia in Tuſculanis eruditè collegit: & Galenus præ cæteris medicis abſolutius pertractat. Sib. Senſus obiectum quod appellas? E. Qualitatem quæ ſenſuum quenpiam afficit, eiq; conſiderandam à natura deſtinatã: ut colores, ſonos, odores, ſapores, quaſq; tactiles tum primas tum ſecundas qualitates appellant, phyſici. De his copioſè & medici, & Ariſtoteles cum in libris de anima, tum in ijs quos de ſenſu & ſenſibili conſcripſit. Sibertus. Nihil ne inter paßionem & qualitatem paßibilem intereſt? Euerh. Eſt ſane, nimirum id ipſum, quod inter habitum & diſpoſitionem. Nam paßio momentanea eſt affectio, uel forma ex affectione ſeu cauſa temporanea profecta: paßibilis qualitas affectio eſt uel forma, diuturnior, ſubiectum in quo ineſt, quale denominans. Quare tam affectio, quam forma

Paßio et paßibilis qualitas.

Affectio quid.

Obiectum ſenſus quid.

Quo differant paßio & paßibilis qualitas.

ma afficiens, in diuturnam atq; momentaneam, haud ineptè diduxeris. Sibertus. Quæ ad figuram formamq; refers? Euer. Quæcunq; manus, & artificis induſtria talia efficit, qualia & uitæ uſu, & ſermonis conſuetudine uſurpantur. Hæc tribus in præſentia generibus diſtinguam, ueſtimento, ædificio, & inſtrumento. Huius igitur ordinis eſſe memineris, omnia omnium artificum inſtrumenta, & quæcunq; rem ædificatoriam, & ueſtiariam conſtituunt. Refert porrò in qualitatis ordines Ariſtoteles, aſperum, leue: rarum, denſum: rectum, curuum. Tu quoq; huius claſſis arbitrabere, ſi qua ſeſe offerent hiſce non diſsimilia. Sibertus. Expediuiſti iam huius quoq; prædicamenti uarietatem, certis quibuſdam generibus, ſeu modis conſtitutis: enumeraſti & ſcriptores, qui huius ordinis uocabula ex profeſſo docent, idem abs te fieri magnopere cupio, in conſtituendo ordine uocum, quæ ad aliquid referuntur. Ac primum, ſiquidem id oportunum uidebitur, nominis rationem finitione aperi. E. Hæc ipſa relatiua Ariſt. ad aliquid, Rodolphus connexa, Cicero affecta propemodum appellat. Ideóq; relationem mutuam rerum ſiue affectionem ſiue connexionem, ſiue deniq; reſpectum haud ineptè dixeris. Sib. Quæ eſt huius prædicamenti ſeu ordinis uarietas? Euer. magna atq; difficilis, niſi methodo pertractetur. Sib. Tu igitur ratione methodica intricatam huius claſſis uarietatem expedi: feceris enim rem gratam, non mihi ſolum, quem iam dudum opera tua docendique ſedulitate habes tibi deuinctiſ-

Quæ ad figuram formámq; pertineant.

De prædicaměto relat.

Relatiuum quid.

ſimum, ſed omnibus adeo huius artis candidatis, qui pariter omnes, de harum uocum impedita uarietate conqueruntur. Euerhardus. Sunt igitur duplicia relatiuorum nomina: quorum alia contingentem quandam & minimè neceßariam collationem obtinent: ut ſcientia cum ſcibili, coloratum cum colore, breuiter concreta cum abſtractis (quæ uocamus) comparata, reſpectū & comparationis modum quendam ſortiuntur. Alia neceſſariam mutuamq́; affectionem deſignant, mutuóque concipiendi, finiendiq́; ordine intelliguntur. Hæc uulgò appellant relatiua ſecundum eſſe, quod ipſa nominis ratio atq; eſſentia, ad aliquid neceßario referatur ſitq; comparationis quaſi effectus. Atq; huiuſmodi uocabula, huius claßis eſſe ſtatuimus: reliqua aliorum ordinum propria ſunt. Sibertus. Denuò huius ordinis uocabula populari finitione circumſcribito. Euerh. Relatiua huius prædicamenti, ſunt affectiones, ſeu reſpectus, ſeu deniq; tituli quidam, ſubſtantijs potißimum indiuiduis attributi, ob quorundam in ipſis accidentium comparationem. Ideóq; dialectici uocant relatiua, minime entitatis accidentia, quod non tam formas, aut res quaſdam peculiariter in natura exiſtentes, quā rerum ſeu formarum collationes, affectionesque mutuas animo offerant. Adcóque huius ordinis uocabula, nullam prorſus formam deſignant, ſed quaſdam quaſi appellationes, quæ rebus ſubiectis tribuuntur, ob aliorum in ipſis accidentium affectionem, ſiue reſpectum. Sic pater & filius ſunt quaſi tituli quidam, huic

Duplicia eſſe relatiua relatiua nomina,

Relatiua huius ordinis cuiuſmodi ſint.

huic illiúe ſubiecto attributi, propter gignendi actum atq; paßionem. Sic duo parietes ſimilitudinis appellationem ſortiuntur, ob qualitatem conſimilem in utroq; deprehenſam. Siber. *Qua tandem partitione huius claßis uarietatem expedis?* E. *Ex conſtitutione accidentium, quorum mutuo reſpectu, ſeu affectione reciproca, exiſtunt relatiua nomina: quæ idcirco relatiuorum fundamenta ac termini uulgò nuncupata, nobis exordia ſinesq; dicantur.* Sib. *Vtrum quæ ſunt relatiuorum exordia atq; fines?* E. *Quantitas, qualitas, actio, paßio.* S. *Quæ igitur relatiua ex quantitatum affectione proueniunt?* E. *Magnum, paruum: æquale, inæquale: par, impar: mons, uallis, & id genus conſimilia.* S. *Ex qualitatum comparatione quæ?* E *Simile, diſsimile.* S. *Quæ manant ex patiēdi agendiq; rationibus?* E. *Plurima ſanè, ſunt enim complures actionis paßionisq; formæ, ex quarum ſingulis relatiuorum nōnulla uarietas proficiſcitur. Verum nobis in præſentia genera ſeu modi decem hanc uarietatem diſtinguent, atq; expedient.* S. *Qui tandem?* E. *Primo, cauſa et effectus: huc refero ſignū quoq; & inſtrumentum. Secūdo, cognationis uocabula, ut pater, filius, mater, filia, frater, ſoror, nepos, reliquiq; gradus, quos iureconſulti tum aſcendentes, tum deſcendentes, tum laterales uocant. Tertio, affinitatis ratio omnis: ut maritus, uxor, cōcubina, gener, ſoror, nurus, ſocrus. Quarto, collegij & amiciciæ rationes: ut conuictus, ſodalitas, hoſpes, domeſticus, peregrinus, amicus, inimicus,*

Vnde relatiuorum diuiſio ſumenda ſit.

Relat. exordia atq; fines. *Relat. ex quantitate.*

Relat. ex qualitate.

Relat. quæ ex actione oriātur enumeratio.

& cætera huius ordinis cōſimilia: qualia ſunt ferè, quæ ex con, præpoſitione cōpoſita ſunt. 5. Magiſtratuum nomina, omniſq; imperij ratio, ut imperator, rex, tyrannus, magiſtratus, ſenatus, conſul, ciuitas, populus, plebs. 6. Iuris formæ: ut lex, ſenatuſconſultū, edictū. 7. Officiorum forenſium nomina, ut iudex, actor, reus, cliens, patronus. 8. Quæ dominij & ſeruitutis rationem conſequuntur, ut dominus, ſeruus, herus, famulus, ancilla, patronus, libertus, hiſque cognata uocabula. 9. Quæ contractus uarietatem cōſtituunt, ut merx, precium, uenditor, emptor, cōductor, mercenarius, aliaq; id genus quàm plurima, quibus commutatiua iuſticia gubernandis præeſt. 10. Quæ iuſticiæ diſtributiuæ conſyderanda ſubijciuntur, ut pœna, ſupplicium, præmiū, honos, gloria, reliquaq; eiuſdē ordinis uocabula. Poſtremo in huius prædicamenti claſſem referunt non nulli, idem & diuerſum, ex ſubſtantia orta relatiua, ac alia nonnulla uocabula, quæ aut non ita frequentia ſunt in communi uitæ ratione, aut ſanè in ſuperiores ordines referri poſſunt. *Relatiua ex ſubſtātia orta.* Sib. Partitionem teneo, ſed quæ profeßio hiſce uocabulis explicandis deſtinata eſt? E. Iuris prudentia, quæ perſonarum rerumq; diſcrimina, & reſpectus (ut ita dixero) ex profeſſo docet.

S. Quot ſunt inquirenda, in huius prædicamenti uocibus enarrādis? E. Hanc rem ſic accipe. In hoc prædicamento, ut & in ſuperioribus, duplicia reponuntur uocabula, nempe abſtracta, ut coniugium, dominium, conſulatus: deinde concreta, ut coniunx, dominus, con- *Duplicia uocabula in prædicamētū referri.*

ſul.

ſul. Iam in concretis, quæ uocantur, enarrandis quinq; ferè inquirēda ſunt: relatiuum, fundamentum, relatio, correlatiuum & terminus. Ac relatiuum, eſt ipſa uox cōſyderationi propoſita: fundamentū, eſt ferè accidēs, cuius ratione nomen relatiuum ſubiecto cuipiam attribuitur. Terminus itē accidens quopiam ſtatuitur, cuius ueluti miniſterio & ratione correlatiuum huic, illiue ſubiecto attributum eſt. Relatio eſt ipſe reſpectus mutuus atq; habitudo, relatiuum & correlatiuum quaſi neceſſitudine quadam deuinciens. Hæc in fundamento, ueluti primordio nata, in terminum uſq; progreditur binas appellationes relatiuas procreans: quæ eo neceſſitudinis uinculo copulātur, ut ſe mutuo tum perimant, tum conſtituant. S. Quo tandem exemplo hæc apperis? Eucr. Sumatur enarrandum uocabulum patris, in quo enodando hæc nobis uarietas expendenda eſt. Primum relatiuum, eſt pater, nimirū ipſa uox in quæſtionem uocata. Secundo huius fundamētum eſt gignendi actus, nempe cauſa, ob quā hic titulus huic illiue homini competit. Correlatiuum eſt filius, patri ueluti ex aduerſo reſpondens. Huius deinde fundamentum ac patris quaſi terminus eſt gigni. Relatio ſeu reſpectus eſt paternitas, aut ſimile quippiam, patris filijq; uocabula mutua quaſi cognatione deuinciens. Ac ſunt qui hæc ſemel omnia in unam relatiui nominis finitionem coire uelint, definiantq; nomen patris, perſonam gignentem, quæ habeat filium ex ſe genitum. Siber. De concretis habeo: abſtracta, quæ uulgo dicimus,

Quot inquirenda in relat. explicandis.

Exemplum enarrandi nois relat.

1. 2. 3. 4. 5.

qua tandē uia declarantur? E. *Conſimili propē modo: qui tribus his, fundamento, termino, & reſpectu abſoluitur.* S. *Quot etiam nunc reliqui ſunt prædicamentorum ordines?* E. *Sex, quorum actio & paßio momenti aliquid in communem ſtudiorum uitæq; rationem conferunt: reliqui nihil magnopere habent alienum, ab ijs, quas rerum circumſtantias uocant Rhetores: unde coniectura opinioq; de rebus inſtrui aſſolet.*

Prædicam. actiōis qd. S. *Quid igitur eſt prædicamentum actionis?* E. *Vocum communium ordo, actionem quampiam deſignantium.* Huc *referas, licebit, omnia uerba quæ grammaticis tranſitiua dicuntur, præter ſenſuum affectionumq; uerba, aliaq; nonnulla, quæ philoſophi, penitius naturā intuentes, paßiua, non actiua exiſtimant.* S. *Paßionis*

Paßione quæ contineantur. *ordine quæ complecteris?* E. *Verba à grammaticis paßiua nuncupata. Quanquā & hoc loco philoſophis nonnulla excipienda uidebuntur: quæ tametſi grammatici, ſermonis conſuetudinem ſequuti, paßioni aſſcribant, ad naturæ tamen rationem exacta, non paßionem ſed actionem deſignent.* S. *Quò refers uerba neutra quæ grammaticis abſoluta dicuntur?* E. *In qualitatis ordinem, ut florere, herbeſcere, aliaq; eiuſdem ordinis quæ non actionem, ſed formam, aut certe formæ (ut illi loquuntur) diffuſionem atq; progreſſum ſignificant.*

Vbi S. *Quæ, Vbi, connumeras uocabula?* E. *Quecūq; oportune reſpondētur ad quæſtiones ubi, quò, quà, & ſi quæ ſunt conſimiles de loco quærendi rationes. Sic,*

Quando. *quando, ſubijciuntur orationis formulæ, quæcunq; ad quamdiu*

quamdiu, & quando legitime reſpõdentur. S. Quæ in ſitus claſſẽ m refers? E. Quæ geſtum aliquem cor poriſq; poſitum deſignant: ut ſtare, ſedere, iacere, reli quaſq; geſtus ſituſq; rationes. S. Quas deniq; uoces prædicamento, Habitus, complecteris? E. Vocabu la deriuata à ueſtium, & inſtrumentorum nominibus, quæq; unius ad aliud coniunctionem quãdam extrinſe cam ſignificãt, ut calceatus, ocreatus, gladio accinctus, eſſe cum telo, herbidũ, nebuloſum, puluere ſanguineq; aſperſum. Eſt igitur hæc illa topices portio, unde con-iecturalis ſtatus confirmatio depromitur. S. Abſo lutis prædicamentorum, hoc eſt, uocum cognatarum (ſic enim definis) ordinibus: hoc unum ſermoni exa cto ſubijce, ut teneam regulas et quaſi notas quaſdam peculiares, quarũ ſingulæ ſingulis item ordinibus tan-tum, idq; in uniuerſum competant, ad quas ſubinde in-feriorum uocum naturam ueluti ad lapillum Lydium exigam. E. Subſtantiæ igitur ſoli, & in uniuerſum conuenit, ſecundum ſui mutationem cõtrariorum eſſe capacem. Quantitati acceptum refertur æquale & in æquale. Qualitati uero in uniuerſum, ſoliq; conuenit ſi mile quippiam, aut diſſimile ſecundum eam nuncupa-ri. Relatiua ſe mutuo procreant, atq; perimunt. S. Vo cum communium atq; cognatarum, tum appellationi-bus conſtitutis, tum diſtributis generibus, hiſq; reliqui ſermonis quibuſdam quaſi fundamentis iactis, ad ſim-plicia themata explicandi inſtrumenta accingere. Ac primum finiendi rationem præceptionibus explica.

Margin notes: Situs · Habitus · Topica ſta tus conie-cturalis. · Prædicamẽ torum con-ditiones propriæ. · Trãſitio ad definiendi præcepta.

Euerhardus. Hanc duplicem uſus diſſerendiq́; ratio conſtituit, nempe uocabuli interpretationem, & rei comprehenſionem. Vocabuli natura, nominisq́; ratio à grammaticis, & recepta latini ſermonis conſuetudine petenda eſt. Hoc finitionis genere opus eſt, quoties de uocis ambiguæ ſignificato conſtituendum eſt. Nam in ſuſcipienda controuerſia, hæc cura uel in primis diſſerentis animum ſubeat, ut ab initio de uocum, quibus res in quæſitione poſita, continetur, acceptione ſenſuq́; diligentius conſtituat. Cum enim ueritas exquiritur, certo orationis genere utendum eſt, ne uel fraude doloq́; malo ab aduerſario circumuenti, pro ueris falſa complectamur: uel poſt multum ſermonis conflictum, nihil etiam tum expeditum ſit. *Sibertus.* Placet, me hercule, conſilium iſtuc, ut quod emolumenti minime expers fore uideatur: uerum quid eſt rei definitio? *Euerhardus.* Oratio breuis quidem, attamen ſufficiens & perſpicua, ex eius quod finiendum eſt, genere & differentia conſtituta. Sic animal rationale, hominis: habitus moralis bonus, uirtutis: uirtus ſuum cuiq; tribuens, iuſticiæ definitio nuncupatur. *Sibertus.* Eſt ne una ſimplexq́; finiendi ratio? *Euerb.* Minimè, ſed plures eius formæ ſunt doctorum hominum ingenijs, diſcendiq́; uſu conſtitutæ. *S.* Quo tandem pacto deprehenditur illa uarietas? *E.* Ex multiplici differentiæ figura. Generis enim ratio in omni finitionis forma propemodum conſimilis exiſtit. *S.* Quæ igitur eſt differentiæ uarietas, ex qua multiplicem

Nominis finitio unde petenda cui que uſui deſtinata ſit.

Rei definitio quid ſit.

Finitionis uarietatem ex differentiæ rationibus cōſtitui

plicem illam finiendi rationem conſtituis? E. Differentia omnis legitima & uſitata, ſumitur à rei definiendæ, uel forma, uel cauſis reliquis, uel officio & uſu, uel partibus ſeu ſpeciebus, uel accidentium collectione. Pro hac differentiæ uarietate, quinq; item definitionis genera uulgo numerāt, eſſentiale, partiale, cauſale, officiale, & accidentarium. Sibert. Quæ eſt definitio eſſentialis? Euerhar. Oratio ex definiti genere & formali, ſeu eſſentiali differentia conſtructa: ut homo eſt animal rationale. Hic differentia rationale, à mente deſumitur, quam phyſici hominis formam perhibent. Huius definiendi rationis pauciora exempla reperiuntur, quòd differentiarum formalium (quas uocant) magna laborant inopia, cum aliarū artium profeſſores, tum philoſophi ipſi. Rerum enim formæ, ita in natura reconditæ ſunt, ut humanæ mentis imbecillitate proferri nequeant. Quoties igitur optimo hoc finiendi genere deſtituimur, ad uicina quædam, & ſi forte ſenſui magis expoſita, minus tamen certa defugimus. Sibertus. Quam uocas cauſalem definitionē? Euerhardus. Cuius differentia à cauſarum inſinuatione deſumitur: ut domus eſt ædificium ex lapide lignóue, habitationis gratia conſtitutum. Sibert. Quot ſunt cauſæ quæ rei cuiuſque tam naturalis quàm artificialis rationem abſoluunt? Euerhardus. Philoſophi quatuor numerant, efficientem, materiam, formam, & finem. Efficiens eſt, cuius opera & induſtria: materia ex qua, ueluti ſubiecto prīcipio, res quæq; producitur,

Quinq; definit gñā.

Eſſentialis definitio.

Definitio ex cauſis effecta.

Quatuor rei cuiuſq; cauſas eſſe.

& conformatur. Forma *eſt eſſentia facieſq; rei, ob quam certam nominis rationem ſortita, huius illiuſúe uſus capax eſt.* Finis, *aut ſi mauis cauſa finalis, eſt id, cuius gratia tam ars, quàm natura omnia efficit.* Sed *aperiamus hæc uno artis exemplo.* Domus *igitur rationem naturamq; hæc ferè abſoluunt: materia, ut lapides, ligna, cæteraq; id genus, quæ materiam conſtituunt: efficiens, ut fabri, & dominus cuius impenſa ædificatur: forma, eſt ipſa ædificij figura, ex fundamento, parietibus, tecto & apertionibus conſtituta.* Habitatio *à cœli iniurijs immunis, domus finis, formæq; effectus ſtatuitur.* Iam *cauſa, præſertim effectrix illa, diducitur in proximam & remotam: itemque in principalem & adiutantem: in ſufficientem ſiue totalem, & partialem.* Sibertus. Quorſum hæc? Euerhar. Vt *memineris in omni diſſerendi ratione, id ſedulò tibi præſtandum, ut quoad liceat, cauſis rei utare propinquis, primarijs & ſufficientibus.* Vtrunque *enim aſſequere, ut & rei naturam penitus introſpicias certiusq; comprehendas, & calumniandi occaſionibus minus exponare.* Sib. Nunquid *in unam definitionem, cauſæ omnes congerendæ ſunt?* E. Minime, *nam ſi pauciores rei deſcriptionem abſoluerint, nihil opus fuerit plures adhibere cauſas.* Deinde *forma hoc loco inter cauſas connumeranda eſt, ut quæ primum definitiõis genus, quod eſſentiale diximus, cõſtituat.* S. Quæ *eſt tertia definitionis ratio?* Euerb. Cuius *differentia à definiti officijs ſeu effectis deſumitur.* Nam *officia*

Exemplum cauſarum rationes aperiens.

Efficientis diuiſio.

Definitio à rei officijs uſuq; collecta.

ficia ab effectis ratione potius, quàm uſu differunt. Sib. Quæ profers huius formæ exempla? Euerh. Huiuſmodi ſanè: Iuſtitia, eſt uirtus quæ ſuum cuiq; tribuit. Dialectica, eſt ars, diſſerendi modum explicans. Magiſtratus, eſt perſona publica, præmia & pœnas legitimè diſtribuens. Sibertus. Quæ nomina hac forma definiuntur? Euerh. Habituum et perſonarum herbarumq; nonnulla uocabula. Siber. Quis eſt quartus finiendi modus? E. Qui rei partes uel ſpecies in differentiæ locum ſubſtituit: ut homo eſt animal ex corpore & mente conſtitutum. Virtus, eſt habitus uolũtarius, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, conmunione ſui comprehendens. Sibertus. Nunquid liberum eſt rei finiendæ partes ſpecieſue quas uelis colligere? Euerh. Licebit fortaſſe, minus tamen ad docendum accommodatum exiſtimo. Quin igitur, & partibus primarijs, & ſpeciebus è proximo ſumptis utemur, ut rem tum plenius tum magis ſignatè, definitione explicemus. Sibertus. Quæ eſt accidentalis definitio. E. Quæ accidentium congeriem differentiæ loco uſurpet. Hic, uel in primis id ſtudendum eſt, ut generi tantiſper accidentia aggregentur, dum rei finiendæ naturam ſignatè exprimant. Sic Rodolphus, aſinum definit, animal auritum, fœcundum, ſolidis pedibus. Hac finiendi ratione Ariſtoteles pleraq; animalia. Theophraſtus & Dioſcorides, herbarum ſpecies deſcripſerunt. Huc licebit, & poëticam ſeu oratoriam illam deſcriptionem referre: quanquam illa uerborum rerumq; copia

Definitio ex partibus ſeu ſpeciebus conſtituta.

Accidẽtalis definitio.

ita laſciuit, ut anguſta philoſophicæ definitionis ſepta longè tranſgrediatur. Sibertus. *Quid eſt quod in omni finiendi ratione quaſi regulã, legemq́; ſequar?* E. Vt definitio, ſit rei finiendæ adæquata: id eſt, ut definitio neq́; minus nec plus quicquam ſuo ambitu comprehendat, quàm eius, quod finitur, natura poſtulat. Nam definitio & definitum, ſimpliciter conuertentur mutuamq́; probandi uſum præſtabunt. Sib. Teneo equidem rationes aliquot, rei cuiuſq; ue naturam quaſi imaginem quandã animo conceptam, oratione breui & aperta ſignatè finiendi, quod primum diſcendi inſtrumentum ſtudioſis à dialectica ſuppeditari, ſuprà commonſtraſti: proximo hinc inde loco, uelim & alteram cognoſcendi thematis ſimplicis rationem, ſimuli compendio exequare. Ac primum de eius occaſione uſuq́; nonnihil explica, ut emolumento eius ſineq́; propoſito, ad diſcendum reddar alacrior. E. Hic igitur eſt cognoſcendi diſcendiq́; ordo, ſanis ingenijs conſentaneus, ut primum rei diſcendæ naturam ceu imaginem quandam animo conceptam, oratione breui, propriaq́; circunſcribant: deinde, quod iam conceptus ſeu orationis quaſi terminis comprehenſum eſt, in partes ſeu formas, ex quibus cõſtituitur, ordine quodam induſtriaq́; reſoluant, & ſingula membra conſimili deinde finiendi ratione examinent. Nam ſingulorum ratio expeditior ſenſibusq́; propior, magisq́; expoſita eſt, q̃ uniuerſa uel totius uel generis communio. Præterea diuiſio eſt nobiliſſimum illud diſcendi, docendiq́; inſtrumentũ, quo in ſingulis artibus præceptionum conſecutio oſtenditur, rerumq́; tra

Rectè finiendi leges.

Definendi diuidendiq́; occaſione, & ordine.

Diuiſionis cõmoditas.

ſtandarũ certus conſtituitur ordo. Sib. Accipio, ſed diuidendi ratione,tuo more,hoc eſt,methodo,proſequere. E. Sicuti igitur definitio ſupra à nobis duplex conſtituta eſt,ita huius quoq; forma duplex ſit: Grammatica una,quæ uocis plura ſignificantis acceptiones enumeret: altera rei, cuius legitimè ſtruendæ rationē dialectici ex profeſſo docent. Sib. Quot ſunt modi diuiſionis dialecticæ? E. Duo,alter per ſe, alter per accidens. Diuiſionis uarietas. Ac prioris generis duo item ſunt formæ, una generis in ſpecies per differentias diductio,quam communi nominē diuiſionem uocant Dialectici: altera totius in partes anatomia ſeu diſſectio: quam partitionem appellant & philoſophi & oratores. Sib. Quæ ſunt legitima diuidendi præcepta? E. Primum ut quod ad eius fieri poßit, duabus contra poſitis differentijs abſoluatur diuiſio. 1 Placuit enim philoſophis,diuiſio bimembris: ut quæ ad Diuidendi docēdum præ cæteris ſit accommodatior. Idcirco quo- leges. ties nulla ſeſe efferet commoda differentiarum repugnantia,quæ diuiſionem duobus membris abſoluat, tum negationem loco differentiæ ignoratæ uſurpabimus. Vt animalium aliud eſt politicũ, aliud non eſt politicũ. Quanq̃ non erit piaculum, interim ex pluribus mēbris diuiſionē cōſtituere,ſi id neceßitas poſtulet: modo eius ratio habeatur,ut generi cōmunioni ſatisfiat. Nā hæc ſecunda diuidendi lex eſt,ut uniuerſam generis rationē 2 ſignatè explicet diuiſio. Tertia diuidendi lex eſt,ut ge- 3 neris cōmunio ꝑ differentias legitimas in ꝓximè ſubiectas ſpecies diducatur. Vt habituum, alij uoluntarij

ſunt: ut morales: alij intellectiui, ut ars atq; ſcientia. Hoc modo & nos ſubſtantiæ rationem ſupra partiti ſumus. Eſt enim hæc forma ad docendum cum primis accommodata, ut quæ una eademq́; opera, & generis communionem explicet, & promptam definiendi rationẽ ſuppeditet. Porrò eſt, ubi propria deſunt ſpecierũ nomina, quæ differentijs conſtituuntur, ibi uel periphraſi ſpeciei cuiuſpiam naturam circuibimus, uel plures uſurpabimus formas, quæ illud diuiſionis membrũ ſignatè abundeq́; comprehendãt. Sib. *Eſt ne una & ſimplex in diuidendo ratio differentiæ?* E. *Minimè, nam in diuidendo nõ ſecus atq; in definiendo, differentia aliàs à forma, aliàs à materia, aliàs à fine et officio, aliàs deniq; aliunde ſumitur: quã rẽ in primo de inuẽtione copioſè, ac diligẽter pſequitur* Rodolphus Agricola, *uir in re dialectica facile princeps.*

Partitio.

Sib. *Quid eſt partitio?* E. *Totius quãti in partes ſeu mẽbra diductio. Sic homo in corpꝰ & animã: officium oratoris in inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & actionem diducitur.*

Partiendi ratio.

Sib. *Quæ eſt recepta partiendi forma?* E. *Nimirũ, ut totum in partes primarias, ipſumq́; è proximo conſtituentes diſſoluatur. Ineptè igitur partiare corpus humanum, in oculum, digitum, palmam, calcaneum: & philoſophiã in Grammaticen, Dialecticẽ, Rhetoricen, Muſicen: quæ partes neq; primariæ ſunt, neq; totum è proximo conſtituunt. Legitima itaq; diuidendi ratio id efflagitat, ut totius natura, ordine & quaſi gradibus quibuſdam per proximas portiones, ad infima & ſim-*

plicißima

pliciſsima uſq; elementa deducatur: id quod medici admodum perite faciunt in libellis anatonomicis: Sib. Expedita uera, quanq; per ſe uocaſti, diuidendi ratione, eius uarietatem enarra, quam accidentalem nuncupant. E. Hanc triplicem fecerunt autores: nempe uel accidentis in ſubiecta, ut feritas alia hominis, alia beſtiæ eſt: uel contra, ſubiecti penes accidentia: ut hominum alij eruditi ſunt, alij eruditionis expertes, quæ ſanè ut plurimum ex contrarijs membris conſtituitur: uel accidentis in accidentia: ut ſaporum alij grati ſunt, alij moleſti. Sibertus Definiendi diuidendiq; rationibus pertractatis, reliquum eſt ut uniuerſæ præceptionis uſum, propoſito exemplo declares: ac primum methodum, quid ſit, explices uelim. Euerhardus. Methodus eſt certa & cōpendioſa diſcendi, docendiq; ratio, ex definiendi diuidendiq; præceptionibus conſtituta. Sibertus. Sed quibus indicibus hoc compendium ſtudioſo adoleſcenti commonſtrant dialectici? Euerh. Certis quibuſdam uel quæſtionibus, uel quærendi modis: quos Ariſtoteles quatuor, recentiores plures enumerant. His methodicam diſcendi rationem ueluti characteribus circumſcripſerunt, quos tanquam mercuriales ſtatuas, in thematis inquiſitione ſequuti, certo ductu, & itinere compendioſo, rei explicandæ naturam uniuerſam percurrerent. Sibert. Quos igitur ſiue indices, ſiue modos quærendi numeras? Euerhardus. Hos ferè hoc ordine, primum quid nominis: admonet de ui & acceptione uocabuli, quod in controuerſia poſitum eſt, abinitio conſtituendum.

Diuiſionis accidentalis forma.

Methodus explicandi ſimplicis thematis.

1 2 3

An ſit modus quærendi de eius, quod nomine ſignifica-
4 tur, exiſtentia. Quid rei: de rei natura inquirendi modus
5 eſt, adeoq; definitiõis index. Quotuplex: diuiſionis &
6 partitionis admonet ſtudioſum. Quæ cauſæ: de efficien
7 te potiſſimum, & rei origine inquirit. Qui effectus: de
officio uſuq;, cui à natura uel arte res quæq; deſtinatur.
8 Quæ accidentia: de fortuita thematis cognatione inqui
9 rendum cõmonet. Quæ exempla: eius quod explicatur,
apud autores probatos q̃ extent. Quanq̃ exemplà nõ u-
num habent locum ſed alijs paſſim interponenda ſunt.
Sib. Vis ne ut hæc ſingula de uirtute, ex te quæram, ut
propoſito exemplo præceptionis uſum facilius aſſe-
quar? E. Volo equidem, ea tamen lege, ut breuib. tibi ſa-
tisfieri patiare. Sib. Quã igitur uirtus nominis obtinet
rationẽ? E. Quod uel in ſexu uirili precipuè eluceſcat,
uel quod affectionibus animi uim quandã afferat, cupi
ditatem cohibens, ignauiam excitans. Sib. Eſt ne uirtus
aliqd, an hominũ ocioſorũ potius cõmenta? E. Virtutẽ
eſſe eruditus conſtansq; philoſophorũ cõſenſus, et com
munis uitæ ratio ſanis ingenijs facile pſuaſerit. S. Ve-
rũ q̃ ratione finitur uirtus? E. Habitus deliberatiuæ fa-
cultatis q officiorũ, id eſt, honeſtarũ actionũ inſtrumen
tũ eſt. S. Quæ ſunt formæ ſeu ſpecies uirtutis. E. Pruden
tia, iuſtitia, fortitudo, temperantia, quas uulgo cardina-
les appellamus, quod hinc omnis officiorum ciuilium
ratio proficiſcitur. S. Quæ ſunt uirtutis cauſæ? Euer.
Honeſta inſtitutio, & diſciplina: itẽ officiorum uſus &
honeſta conſuetudo efficientis cauſæ rationem obtinẽt.

Virtutis nomen ad methodi rationem expenditur.

Materia in qua oĩs uirtus exiſtit. eſt ipſa uoluntas. Deinde affectus ſunt obiecta illa materia, circa quàm uis omnis atq; natura uirtutis cõſumitur. Cæterũ materia ex qua (ſic enim uulgò nuncupant) in habitibus alijsq; accidentibus, quæ nullis materiæ conditionibus ſunt deuincta, nulla poteſt aßignari. Finis uirtutis, eſt officium & actio honeſta. S. Quæ ſunt officia, & munera quibus obeundis uirtus deſtinatur? E. Appetitum ſeu uoluntatem inclinare ad gendum, prudenter, iuſtè, fortuer, & temperanter. S. Quæ accedunt uirtuti ipſamq; fortuito conſequuntur? E. Opes, honores, ſanitas, uitæ longitudo, & id genus conſimilia. Sib. Quæ ſunt deniq; uirtutis exempla? Euer. principes complures Homerici: Aeneas Vergilianus: Hippolytus apud Senecam: Cyrus apud Quintum Curtium & Xenophontem: aliàq; conſimilia exempla cum apud poëtas, hiſtoriographos, tum apuod philoſophos morum cenſores. Hoc nimirũ pacto in diſcenda thematis cuiusq; natura, anguſtis ueluti limitibus circunſcribenda eſt, quò & facilius perdiſci, & commodius poßit ratio eius memoria comprehendi. At in deſcribendis rebus oratione populari, licebit & ſingula locupletius pertractare, omnèsque ferè inueniendi rationes, perſequi. Sibertus. Quæ eſt methodi ratio in artibus legitimè conſtituendis? Euer. Vt ab initio animus ſeſe referat, ad commune theorematum, id eſt, præceptorum genus ſeu artis ſubiectum quoddam, ex quo ueluti ex fonte riuuli, ita reliquæ artis quæſtiones deriuentur. Deprehenſi iam gene-

Ratio conſtituendi ſine diſcendi artem quãpiam.

20

ris ratio breui oratione,ita circumſcribenda eſt, ut eius natura atque conditio aliquo modo innoteſcat. Sub hæc diuidendi methodo adhibita,generis ſeu totius communio, per differentias in ſpecies, uel partes diducenda eſt. Ac ſingula diuiſionis membra,ſubinde finitione breui atq; perſpicua comprehendentur. Mutuus hic definiendi,diuidendiq; ordo,tantiſper uſurpandus eſt,dum ad infima artis elementa deuentum ſit. Sib. Habeo quidem quæſtionis ſeu thematis ſimplicis explicandi methodum:qua,ut ſpero,cognitione percepta, uſuq; mediocri confirmata, ad philoſophiam ſeriasq; humanæ uitæ diſciplinas,me conferam totum,ut hoc ingenij duce, pulcherrimam rerum cognitionem facilius aſſequar.

Paraſceue in ſequentem dialogum.

Tibi præceptor,maximas ago gratias,quod in toto ſermone ſine ſtomacho me pertuleris,& ad ſingula quæſtionum momenta, clementer reſponderis. Sed heus,præceptor, ante quàm te dimittam,id abs te exoratum uolo ,ut reliquam diſſerendi facultatem , cum Guilielmo ſimili compendio & induſtria pertractes : ut in rerum ſimplicium coniunctione , legitimam conſecutionem & iudicemus & imitemur ipſi : deniq; uera & naturæ conſentanea uſuiq; accommodata , in controuerſijs cum priuatis tum publicis , diſceptando poßimus obtinere. Euerh. Tuo more facis, mi Siberte, cum quod ſummo iure à me exigere poteras , id precibus efflagitas. Geram equidem hac in re tibi morem opidò quam libenter , ut priuſquam animum ad grauiora ſtudia appellas , de abſoluta diſſerendi ratione tibi conſtet.

CONRADI NEOBARII ARTIS DIAlecticæ liber ſecundus, de ijs rationibus, quibus argumentandi facultas continetur.

Guilielmus diſcipulus: Euerhardus præceptor.

Guilielmus.

EXpeditis definiendi, diuidendiq; rationibus, uis ne, præceptor, ut ante te cum pactus eſt Sibertus, de argumentandi præceptionibus ex te quæram, ut thematis utriuſq; (ſimplicis inquã, coniunctiq;) modis exploratis, in omni ſtudiorum genere magno cum laborũ fructu uerſemur? E. Volo *equidem: quid enim uel me præceptore dignius, uel uobis exoptem utilius, quã ut in omni diſciplinæ genere cum fructu aliquo uerſemini?* G. *Sed quæ uis eſſe huius dialogi capita, de quibus ordine ex te ſciſciter?* E. *Huic ſermoni finem ceu ſcopum præfixum eſſe uolo, ſyllogiſmum categoricum, omnemq; de ipſo præceptionẽ his capitibus comprehenſam: nempe tractatu propoſitionis, forma ſyllogiſmi, inuentione medij, facultate uitioſam quanq; collectionẽ diſſoluendi.* G. *Quid igitur propoſitionem appellas?* E. *Orationem indicatiuam, quæ uerũ aut falſum animo ſenſum ſine ambiguitate repræſentat: ut ignis calefacit. Sole exoriente dies fit.* G. *Quot modis diuiditur propoſitio?* E. *Tribus, penes ſubſtantiam, qualitatẽ et quantitatẽ. Ratio-*

Argumentum & ordo libri ſecundi.

Propoſitio quid.

Diuiſio p= poſitionis penes ſub= ſtantiam. ne ſubſtantiæ diuiditur in categoricam, quam latino no mine prædicatiuam dicimus, & hypotheticam ſeu con ditionalem: quarum prior à nobis hoc ſermone pertra ctabitur: hypotheticam uero ſeu connexã, in aliud tem pus reſeruabimus. Guil. Quam igitur uocas cate= goricam? E. Orationem indicatiuam atq; perfectã, ex copula terminisq; duobus, ſubiecto & prædicato, conſtitutam. Vt furtum eſt puniendum: fortitudo eſt uirtus: febris eſt morbus. G. Quid uocas ſubiectũ? E. Alterum propoſitionis terminum, qui ordine ſyn taxeos prior eſt. Conſimili ratione prædicatum dici= mus ſecundum propoſitionis terminum ſiue uocabulũ, quod priori ueluti titulus quidam in oratione uel attri= buitur, uel adimitur. Cæterum ad peritè iudicandum de propoſitionis terminis, ordo ſyntaxeos diligenter conſulendus eſt. Eadem nanq; ſubiecti & prædicati ra tio eſt dialecticis, quæ ſuppoſiti & appoſiti uocabuli apud grammaticos. Quare ſicuti hæc non ſingulis ubi que dictionibus, ſed pluribus interdum ſingula conſtãt, ita et prædicati ſubiectiq; ratio, non ex una ſemper uo ce, ſed modo duabus, modo pluribus conſtituitur. Hæc uarietas in iudicando ſcribendoq; ſedulo expendenda eſt, ne primarijs orationis membris relictis, illa uel ſe= quamur, uel tutemur, quæ obiter uel ornandi uel ampli ficandi ratione accedunt. G. Quid? Copulam quam uocas? E. Verbum ſubſtantiuum, prædicatum cum ſubiecto propoſitionis termino connectens. Hæc aliàs expreſſa eſt, aliàs latet, ac reſolutione quadam patefit,

Marginalia: Categorica propoſitio — Subiectum. — Prædicatũ. — Ratio iudi= candi de p= poſitionis terminis. — Copula.

quoties

quoties nimirum uerbũ de ſubiecto propoſitiõis termi no dicitur: ut animal ſentit, reſoluitur in hanc, animal eſt ſentiens. Habet ſanè hæc diligentia alicubi locum, in quæſtionibus intricatis enodandis. G. Teneo pro poſitionis categoricæ partes, iam de eius diuiſionibus explica. E. Ratione qualitatis in duas formas diduci tur, in affirmatiuam & negatiuam. G. Quam ap= pellas affirmatiuam? E. In qua terminus prædica= tus de ſubiecto affirmatur: ut elementa rerum natura= lium ſunt quatuor. Religio eſt Reipub. uinculum. G. Quam negatitiuam? E. In quã terminus prædicatus de ſubiecto per negationem remouetur: ut nihil à natu ra profectum, eſt ſempiternum: nulla turpitudo honeſti nomine cenſetur. G. Sed quantitatis ratione in quas formas diducitur propoſitio? E. In uniuerſalem, par ticularem, indefinitam, & ſingularem. Ac uniuerſalis, eſt in qua ſubijcitur terminus cõmunis, ſigno uniuerſali definitus, ut omnis honeſtas laudem meretur. Nullũ ſce lus præmio afficiendũ eſt. Particularis eſt propoſitio in qua ſubijcitur item terminus cõmunis, at ſigno parti culari circũſcriptus, ut quidã milites ſe ſtrenue in pu= gna gerunt. Nonnulli magiſtratus ſunt improbi. G. Vnde hæc ſignorum ratio petenta eſt? E. Hæc cum à reliquis grammaticis, tum ab Eraſmo in primo de co pia libro doctè enarratur. G. Quæ tandem eſt pro poſitio indefinita? E. In qua ſubijcitur terminus com munis nullo ſigno circũſcriptus. Vt magiſtratus eſt ho nore afficiendus. Ac indefinita aliàs uniuerſalem, aliàs

Diuiſio propoſitionis Categor. in affirma. & negat.

Diuiſio categoricæ ratione quantitatis.

Vniuerſalis.

Particularis.

Indefinita.

Indefinita uniuerſali æquipollẽs. particularẽ ualet. G. Sed quæ uniuerſali æquipollet? E. Cuius terminus prædicatus quippiã ſignificat, quod ſubiecto uniuerſo competit. Id ſanè accidit, quoties uel ſpecies de indiuiduo, differentia, aut proprio: uel genus, aut differentia, aut proprium de ſpecie: uel definitio de re definita: aut contrà, res definita de finitione: uel deniq; accidens inſeparabile de ſuo ſubiecto dicitur. G. Teneo, uerum, quæ indefinita particularem

Ind. particulari æqui pollens. ualet? E. In qua prædicatum uel accidens ſeparabile eſt, uel alioqui contractius eſt ipſo ſubiecto: ut herbæ ſunt potentia calidæ. Animal eſt homo. G. Sunt ne quærendi modi, quibus apta reſponſio de hiſce partitionibus elicitur? E. Sunt equidem. G. Qui tandem? E. Quæ, Qualis, Quanta. Ex his prima particula, de ſubſtantiali propoſitionis diuiſione: ſecũda de qualitate, id eſt, negatiua ne ſit propoſitio an affirmatiua: tertia de quantitate eius interrogat, uniuerſalis ne an particularis, an indefinita, an ſingularis exiſtat propoſitio. Hanc rem alij, tametſi non ita politè, cõmodè tamen breuiterq; his uerbis cõplexi ſunt. Quæ cat. uel hyp. qualis neg. uel aff. un. quanta, par. ind. ſing. G. Quid iam proxime in hoc tractatu ſequitur? E. Materiæ propoſitionis inquiſitio, quæ ad repugnãtes propoſitiones dijudicandas neceſſaria eſt. Nam hic docendi ordo & facilis & diſcentibus accommodatus eſt, qui ex rebus iam cognitis quaſi gradibus quibuſdam ad ignotas progreditur, ita ut antecedẽtia conſequentibus lumen quoddam & propè cõmentarij uſum præ-

ſtent.

ſtent. G. Habeo, ſed quam definis propoſitionis materiam? E. Terminum, ſubiectum & prædicatum, uel prædicati ad ſubiectum habitudinem. G. In quas formas diducitur materia? E. In naturalem, remotam, & contingentem. G. Quæ propoſitio ex naturali materia conſtituitur? E. Cuius terminus prædicatus, cum ſubiecto neceſſaria indiſſolubiliq; copula deuinctus eſt, id quod accidit quoties uel genus de ſpecie, uel ſpecies de indiuiduo, aut differentia, aut proprio: uel differentia aut proprium de ſpecie: uel definitio, de re finita: uel contrà, definitum de finitione dicitur. His addunt nonnulli eam quoq; connexionem, in qua accidens inſeparabile de ſubiecto prædicatur. Quæcunq; igitur naturali ac neceſſaria habitudine atq; cognatione deuincta ſunt, huius ordinis habebuntur. Guiliel. Quam uocas materiam remotam? E. Impoßibilem naturæq; repugnantem terminorum coniunctionem: ut homo eſt aſinus. Ignis eſt aqua, Pietas eſt uitium, Breuiter, omnis propoſitio dicitur ex remota, impoßibili, naturæq; repugnanti materia conſtituta, cuius terminus prædicatus, neq; definitionis, nec definiti, neq; cuiuſquam prædicabilium rationem induit, ad ſubiectum relatus. Quare ſicuti propoſitio ex materia naturali conſtituta, ſi affirmetur, uera, ſi negetur in uniuerſum falſa cenſetur: ſic contrà, quæ ex materia remota conſtat, affirmatiua falſa, negatiua prorſum uera exiſtet. G. Quam uocas contingentem? E. Cuius terminus prædicatus de ſubiecto per ſignum particulare,

Materia propoſitionis quid, et quotuplex.

Naturalis materia.

Materia contingẽs.

modo affirmari, modo negari poteſt. Id ſanè uſu uenit, cum accidens præſertim ſeparabile de ſubiecto dicitur. Vt, Quidam homines ſunt literati, nonnulli homines ſunt illiterati. G. *Sed quæ hinc utilitas colligenda eſt?* E. *Facultas iudicādi quæ in artibus tum neceſſario, tum contingenter & caſu quodam aut uera aut falſa exiſtant. Deniq; quid certum, quidq; anceps, & ambiguum habeant profeßiones, quas diſcendas ſuſceperis. Neceſſaria enim fidem & ſcientiam: contingentia opinionem & coniecturam pariunt, pugnantia uero ſicuti naturæ, itaq; artis quoq; harmoniam diſſoluūt.* G. *Quot ſunt propoſitionum binarū inter ſe affectiones?*

De tribus propoſitionum inter ſe affectionibus.

E. *Tres: Oppoſitio, Aequipollentia, & conuerſio.* G. *Quid eſt oppoſitio?* E. *Propoſitionum eiuſdem ſubiecti & prædicati binarum, in qualitate & quantitate, uel in harum ſingulis pugnantia, ut omnis uirtus honeſti appellatione uenit, quædam uirtus nō uenit nomine honeſti. Omnis morbus eſt corporis præter naturam affectio. Nullus morbus eſt affectio præter naturam.*

Oppoſitio quid et quotuplex.

G. *Quot ſunt oppoſitionis formæ?* E. *Quatuor. Contraria, ſubcontraria, contradictoria. & ſubalterna.* G. *Quæ opponuntur contrariè.* E. *Duæ uniuerſales eiuſdem ſubiecti & prædicati, altera negatiua, altera affirmatiua. Vt omne calidum habet abſumendi facultatem, nullum calidum habet abſumendi facultatem.* G. *Quas uocas propoſitiones ſubcontrarias?* E. *Duas particulares, item ſola qualitate repugnantes, ut quædam leges habent in natura cauſam poſitam,*

ſitam, quædam leges non habent, cauſam naturalem. Guil. Quas appellas contradictorias? Euer. Duas propoſitiones eiuſdem ſubiecti & prædicati, qualitate & quantitate pugnantes: quales ſunt uniuerſalis affirmatiua & particularis negatiua, aut contrà, ut omnes leges Reipub. expediunt, quædam leges non expediunt Reipub. G. Quas deniq; ſubalternas uocas? E. Binas propoſitiones eiuſdem tum ſubiecti tum prædicati, ſola quantitate repugnantes, ut nullum ſcelus perpetratur impunè, quoddam ſcelus non impunè perpetratur. Quadruplicem hanc oppoſitionis uarietatem hoc modo repreſentant dialectici.

Omne animal ſpirat.	*Contrariæ*	*Nullum animal ſpirat.*
Subalternæ	*Contradictoriæ* / *Contradictoriæ*	*Subalternæ*
Quoddam animal ſpirat.	*Subcontrariæ*	*Quoddam animal nõ ſpirat.*

Guil. Verum quibus regulis conſtat ea iudicandi facultas, ut ſciã qua lege binæ inter ſe propoſitiones repugnent? E. Tota res ex propoſitionum materia deſumetur. Contrariæ igitur in nulla materia ambæ ueræ, at falſæ eſſe poſſunt in materia contingenti, ut omnis lex eſt naturæ conſentanea, nulla lex naturæ conſentanea eſt. Subcõtrariæ ambæ nunq̃ falſæ, at ueræ poſſunt eſſe in materia contingenti. Cõtradictoriæ in nulla materia ſimul aut ueræ aut falſæ eſſe poſſunt. Nã duabus conditionibus, qualitate nempe & quantitate inter ſe pugnant. Subalternarum hæc eſt natura cognitionisq; neceßitudo, ut uniuerſali ſiue negatiua, ſiue affirmatiua uera exiſtente, particularis falſa eſſe nequeat. Et contrà, particulari exiſtente falſa, uniuerſalis minimè poßit eſſe uera. Hinc dijudicantur duæ argumentationis formulæ, quas ab uniuerſali, & à particulari nuncupant recentiores. *Guil.* Habeo propoſitionis dißidium atq; pugnantiam, de concordia deinceps ac earum æquipollentia breuiter explica. Euerhar.

Regulæ oppoſitionum

Aequipollentiam igitur definiamus, propoſitionum concordiam, & quandam quaſi reconciliationem. Ac tota cõciliandi ratio in negationis commutatione conſiſtit. *Guil.* Quo pacto igitur reconciliantur propoſitiones contrariæ? E. Negatione uniuerſali ſigno poſtpoſita. Vt omnis herba eſt planta, nulla non herba eſt planta. *Guil.* Quo modo reconciliantur contradictoriæ? E. Negatione ſigno ſiue particulari, ſiue uniuerſali præpoſita: ut contradictoriæ ſunt, omnis

Aequipollentia.

lex

lex reipublicæ uinculum eſt, quædam lex non eſt reipublicæ uinculum: reconciliantur b:fariam, primo in hunc modum: omnis lex reipublicæ uinculum eſt, non quædam lex non eſt reipub. uinculum: Secundo, non omnis lex reipub. uinculum eſt, quædam lex non eſt rei publicæ uinculum. Cæterum hac in re probata latini ſermonis conſuetudo ſubinde conſulenda eſt. Ideoq; & abſoluta æquipollentiæ tractatio, à grammaticis petenda eſt, qui uocum, tum diſcrimina, tum cognationes conſiderant diligentius. G. *Quid æquipollentiæ ratio differendi facultati confert?* Euerhardus. *Præ cæteris hoc maximè, ut obſcura aliqua oratione impeditàque nobis propoſita, ad eius æquipollentem confugiamus, inde prioris quoq; ſenſum petituri.* Nam *quæcunq; orationis formulæ inter ſe ritè conueniunt, eidem quoq; tum ueritatis, tum falſitatis conditioni ſubijciuntur.* G. *Teneo, ſed quid eſt* Conuerſio, *quam tertiam propoſitionis affectionem dixiſti?* E. *Eſt terminorum in propoſitione commutatio, ut prædicatus & ſubiectus, alter in alterius locum uicemq; ſuccedat.* Et *hoc quidem fit aliàs ſignis commutatis, aliàs his manentibus eiſdem, in utraq; propoſitionis forma.* Guil. *Quot ſunt recepti conuerſionis modi?* E. *Duo potiſſimum: quorum alter ſimplex atq; per ſe: alter per accidens, uſitato nomine à dialecticis dicitur.* Guil. *Simplicem quem uocas?* E. *Cũ propoſitionis terminus prædicatus in ſubiecti, & hic uiciſſim in illius locum tranſfertur, eadem tum quantitate tum qualitate propoſi-*

Vſus tractatus de æquipollentia.

Conuerſio quid ſit.

Simplex cõuerſio.

tionis ſeruata. Hoc modo duæ ferè propoſitionum formæ conuertuntur, uniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua: ut nulla uirtus eſt turpitudo, ergo & nulla turpitudo uirtus eſt. Quidam magiſtratus ſunt impij, & quidam impij ſunt magiſtratus. Hac figura uniuerſalis quoq; affirmatiua conuertitur, præſertim illa cuius terminus prædicatus ſubiecto neq; latior eſt, neq; contractior: ut omnis ſonus eſt qualitas auditu percepta, & omnis qualitas auditu percepta, eſt ſonus. G. Quis eſt modus per accidens conuertendi

Conuerſio per accidēs

Euer. Qui commutatis terminis, quantitatem item propoſitionis transformat. Hac ratione uniuerſalis affirmatiua in particularem uertitur, ut omnis homo eſt animal, quoddam animal eſt homo. G. Quis eſt conuerſionis uſus? E. Hunc triplicem in præſentia conſtituemus ſiam & probationis, & interprætationis uice alicubi

Vſus cōuerſionis.

defungetur conuerſio. Poſtremo in reducendis ſyllogiſmis conuerſio fuerit oportunum inſtrumentum. Guilielmus. Nunquid etiam nunc huic de ſyllogiſmo tractatui deeſt? Euerhardus, Deeſt ſanè, nam dialectici propoſitionem categoricam biſariam diducunt, nimirum in eam quam illi de ineſſe, nos puram cum Rodolpho uocemus: & in modalem, quæ certa quadam lege aliud de alio pronunciat. Guilielmus. Quam uocant modalem?

De propoſitione modali.

E. Categoricam ſeu prædicatiuam orationem, modorum aliquo definitam. Modos autem uocant, neceſſe, impoßibile, poßibile, contingens. Guilielmus. Quare has particulas modos appellant? E. Quód ſint quaſi regulæ

gula quædam, & amuſſis de propoſitionis materia, & terminorum inter ſe connexione iudicandi. Nam mutuam prædicati ſubiectique coniunctionem certa quaſi lege definiunt. Guilielmus. Quis igitur modorum naturalis materiæ index eſt? Euerhardus. Neceſſe: nam quæcunque propoſitio hanc particulam uerè legitimèque ſuſcipit, hæc nimirum conſtat, ex terminis ſeu uocabulis, quæ naturali neceſſitudine copulaq; perpetua deuincta ſunt, ut citra naturæ uel artis corruptionem à ſe mutuò diuelli nequeant. Vt neceſſe eſt animal ſenſu eſſe præditum: Neceſſe eſt hominem mentem habere: Neceſſe eſt corpus à natura profectū, ſtato tempore occidere. Guilielmus. Quæ eſt nota materiæ remotæ? E. Impoſsibile: omnis enim oratio, hanc particulam legitimè recipiens, eſt conſtituta ex uocibus repugnantibus atque diſparatis, quarum coniunctio naturæ uel arti prorſum repugnat: ut impoſſibile eſt hominem eſſe aſinum: impoſsibile eſt nigredinem eſſe candorem: impoſsibile eſt temperantiam eſſe libidinem. Guilielmus. Qui ſunt indices materiæ orationis contingentis? Euerhardus. Poſsibile, & contingens: ut poſsibile eſt hominem ſapere, deſipere, malè eſſe, bonâue ualetudine præditum. Contingit minorem numerum maiorem in prælio ſuperare. Atq; hæ ferè ſunt uſitatæ propoſitionis categoricæ rationes. Guilielmus. Vis ne igitur de argumentandi ratione ex te quæram, quem ſyllogiſmum categoricum, ſeu prædicatiuum appellant? Euerhardus. Volo equidem, & id

Neceſſe eſt materiæ naturalis index

Impoſsibile cōpetit materiæ remotæ

Contingentis propoſitionis indices.

paucis abs te fieri, ne diſſerendi compendium profeſſi, omnes artis minutias perſequamur. G. Lubens tibi, præceptor, obſequar: protinus igitur de ſyllogiſmi finitione ex te rogo, hæc enim quæſtio in diſcendi methodo nequit præteriri. E. Aliter itaq; alijs, nobis uerò, quod ad inſtitutum præſens attinet, definietur ſyllogiſmus prædicatiuus, argumentatio ex mutua legitimáque terminorum ſeu uocum trium commenſuratione,

Syllogiſmus prædicatiuus quid ſit

dubiæ quæſtioni fidem aſtruens: Vel ſyllogiſmus prædicatiuus eſt oratio quæſtionis propoſitæ terminum ſubiectum & prædicatum in uno eodemq; tertio uocabulo conferens, ut ipſorum inter ſe quoq; concordiam diſsidiúmue manifeſtet. Demus enimuero, in quæſtionem uocari, rectè ne fortitudini tribuatur honeſti appellatio. Huic quæſtioni commodè fidem inuenerimus, ſi utrunq; ipſius terminum (ſubiectum dico & prædicatum) ſigillatim cum eodem contulerimus uocabulo uirtutis, hoc pacto: omnis uirtus honeſti nomine cenſetur. Atqui fortitudo eſt uirtus. Ex duplici hac terminorum dimenſione, ueluti ex cauſa effectus, huiuſmodi ſequitur propoſitæ quæſtionis affirmatio ſeu concluſio, Ergo fortitudo honeſti nomine cēſenda eſt. Guil. Sed quæ eſt huius conſecutionis ratio? Euer. Nam quæcunq; duo cum eodem tertio rectè conueniunt, hæc inter ſe quoq; conſentanea eſſe commu-

Regula cōſecutionis ſyllogiſticæ

ne mentis iudicium ſtatuit, Et contra, duo eidem tertio legitimè collata, ſi alterum cum ipſo conſentit, ac alterum ab eo diſsidet, hæc ipſa inter ſe item pugnare

re exploratum eſt.G.Ex quot propoſitionibus conſtituitur ſyllogiſmus? E. Ex tribus, quæ ex totidem terminis ſeu uocabulis conſtant. G. Qua id ratione efficitur? E. Ex uaria ter minorum dimenſione. Nam oblata quæſtione, tertium adhibetur uocabulum, qui cum uterque quæſtionis terminus ſigillatim confertur. Ac primam dimenſionem maiorem, ſecundam minorem, ambas uero præmiſſas propoſitiones Dialectici nuncupant. Tertio ipſi quæſtionis termini poſt duplicem dimenſionem inter ſe comparantur, quam concluſionem dicimus, nomen à conſuetudine forenſi mutuantes. Nã ſicut iudex rogatus ſententiam, tum demũ in hanc illãue partem de propoſita controuerſia pronunciat, ubi quæſtionem cum ſingulorum iudicio contulit: ita ſtudioſus quoque adoleſcens non prius de præſentis thematis ueritate concludet, hoc eſt pronunciabit, quàm ſingula eius membra, cum eodem tertio uocabulo legitime contulerit. Guilielmus. Habeo tres propoſitiones ſyllogiſmum abſoluere, maiorem & minorem & concluſionem ex præmiſſis illatam: uerum quibus nominibus dialectici appellant tres illos termnos ex quorum dimenſione totidem ſyllogiſmi propoſitiones efficiuntur? Euerh. Quæſtionis probandæ ſubiectum, minorem, prædicatum terminum maiorem uocãt, quod hic in maiore ſeu prima, ille uero in ſecunda ſeu minore propoſitione cum uocabulo tertio confertur. Tertium uocabulum, quod dimenſionis fideiq; gratia accerſitur medium nuncupant: & huius ratione

Tres ſyllogiſmi eſſe tum terminos tum propoſitiones.

Concluſionis unde deriuatum uocabulum.

Appellationes terminorum ſyllogiſmi.

Forma ſyl. quid.


quæſtionis ſubiectum, & prædicatum extrema, hoc maius, illud minus appellitant. G. Quæ eſt probata ſyllogiſmi forma? E. Trium legitima terminorum inter ipſos comparatio. G. Quibus rebus conſtat hæc dimenſio? E. Legitimo conferendi ordine, hoc eſt ſignis, deinde quantitate, & qualitate ad eam rem conſentaneis. Gulielmus. Quibus inſtrumentis legitima dimenſio ſeu bona ſyllogiſmi forma deprehenditur? E. Figura &

Figura.

modo: Figuræ enim officium eſt, ordinem in conferendis uocabulis adoleſcenti præſcribere.

Modus.

Modus eſt tum qualitatis, tum quantitatis index. Iam quintuplicem ferè eſt ordinem in bona legitimáq; uocum commenſuratione deprehendere: quam uarietatem totidem expreſſam triangnlis, quaſi ſpectandam uobis ſoleo proponere, inde adeo figmenti occaſionem nactus, quod obſeruatione didiceram, & terminorum & propoſitionum ſyllogiſmi numerum trianguli, tum lateribus tum angulis optime quadrare. Conſueui porrò in ſingulis triangulorum deſcriptionibus, certos quoſdam literarum & numerorum characteres uſurpare: ut in hac figura perſpicuum eſt.



Q. ſignificabit quæſtionem, ſeu propoſitionem ſyllogiſmo colligendam. S. termini ſubiecti, P. prædicati eiuſdem quæſtionis, M. medij index erit. 1, deſignabit terminum cui adhæret, primo ſumendum eoq; referendum quò monſtrat linea proiecta. Conſimili plane ratione.

.2. ſecundam

2. ſecundam. 3. tertiam indicabit terminorum dimenſionem. G. *Figuræ rationem teneo, iam de modo explica.* Euerb. *Modorum quos uocat Ariſtoteles, officium definiuimus, differentem commonefacere quantitatis & qualitatis, hoc eſt ſignorum, quibus in conferendis terminis utendum eſt. Quare prout ſyllogiſmus ex tribus propoſitionibus conſtituitur, ita in ſingulis modorum nominibus tres ordine, obſeruandæ ſunt*

uocales, quarum	*1 maioris* / *2 minoris* / *3 cõcluſiõis*	*præmiſſarũ*	*qualitatẽ & quantitatem deſignat.*

Ac ſi per omnium modorum uocabula oculis decurres, quatuor in uniuerſum uocales deprehenderis,

quarũ	A / E Indices	*ſũt*	*uniuerſalis*	*af.* / *ne.*	*ppo ſitio nis.*
	I Indices / O		*particula ris*	*af.* / *ne.*	


Recipit uerò modus appellationẽ, à uocali quæ à principio tertia eſt, quæ & concluſionis index habetur.

Ergo qui tertiã uocalẽ poßidet	A / E	*uniuer.*	*affirmat* / *negat.*	*nũcupatur.*
	I / O	*particu*	*affirmat* / *negat.*	

Poſtremo ſingulæ figuræ plures obtinent modos, eoſq; ſibi peculiares, quare ſuos cuiq; ſignatè aſſcribemus. G. His ceu fundamentis iactis ad figurarum deſcriptionem, ac ſyllogiſmorum formationem accingere, ut de legitimis formæ rationibus, quæ, quotq; ſint nobis planè conſtet. E. Primæ itaq; figuræ duplex in conſerendis terminis ordo attributus eſt, directus & indirectus. Directum ordinem uſurpat huius figuræ ſyllogiſmus, in quo idem terminus & primæ propoſitionis & concluſionis prædicatum eſt.

De prima ſyll. figura directa.

Vt omnis uirtus eſt honeſta
Fortitudo eſt uirtus,
Ergo fortitudo eſt honeſta.



Hic .n. recto ductu ex præmiſſis cõcluſio efficitur. Huius rationis quatuor ab Ariſtotele modi, ſeu formæ cõſtitutæ ſũt, in quibus declarãdis ille literarũ, nos uocũ dimẽſionibus utemur, hoc modo.

Bar Omne animal ſpirat,
ba Omnis homo eſt animal,
ra Ergo omnis homo ſpirat.
Ce Nulla cauſa libera producit effectus neceſſarios
la Mens humana eſt cauſa libera,
rẽt. Ergo nulla mẽs hoĩs ꝑducit effectus neceſſarios.
Da Omnes ſeditioſi iure puniuntur,
ri Catilina fuit ſeditioſus,
i Ergo Catilina iure punitus eſt.


Fe

Fe Nullus magiſtratus iure occiditur,
ri Ca. Cæſar fuit magiſtratus,
o Ergo Caius Cæſar non eſt iure interfectus.

Hanc uocum dimenſionem connexionemq́; , ut ratio naturalis, & facile intelligit, & ſtatim comprobat, ita frequens eius in diſſerendo uſus eſt: quare dialectici omnem ferè ſyllogiſticam collectionem, ad hanc uelu ti regulã exigi uolunt, et operoſam ſyllogiſmos tranſformandi rationem pueris inculcant. Verũ nolim equidem uos rudes adhuc, & uix dum artis dialecticæ elementis imbutos, reductionũ labyrintho remorari: præſertim ꝗ quæ hac de re præcepta tradũtur, partim fructus minus quàm difficultatis habent, partim ex his figuris, quibus colligendi ordines exprimendos duximus, ipſi ſine monitore facile peruidebitis. G. Gratiam habeo tibi præceptor, ꝗ hoc nos diſcendi labore ſubleuas: ſed quem uocas ſyllogiſmum indirectè concludentem? E. In quo ſubiectus quæſtionis terminus de medio in prima ſyllogiſmi propoſitione dicitur. Guil. Qua deſignatione hic conferendi ordo repræſentatur? Euerhar. Huiuſmodi. Prima figura indirecta.

Animal.

Omne animal eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt animal,
Ergo quædã ſubſtantia eſt homo.




(Sub. Hõ

Hic obliquo ductu & à cõſuetudine intelligendi ferè alieno concluſio ex præmiſſis, quas uocãt, infertur. G. Quos

huius dimenſionis modos enumerãt ? E. Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum. *Ac nihil te impediat ex his modis quoſdam ternarium ſyllabarum numerum, qui ſyllogiſmi propoſitionibus par eſt, excedere.* Nam tres ordine priores ſingulorum modorum ſyllabæ in formandis ſyllogiſmis aduertendæ ſunt. G. *Quæ eſt ſecunda figura ?* E. *In qua terminus medius in prima ſecũdaq; ſyllogiſmi propoſitione locum prædicati uicemq; obtinet.* G. *Sed quem dimenſionis rationẽ hæc figura in conferendis terminis uſurpat?* E. *Nimirum iſtum, quem hic triangulus repræſentat.*

Secunda figura.

Blaſ.



Per.

Nulli pij ſunt blaſphemi,
omnes periuri ſunt blaſphemi,
Ergo nulli periuri ſunt pij.

Pij.

G. *Quos huius figuræ modos ſeu formas numerãt ?* E. *Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco: quorũ hæc nobis ſint exẽpla.*

Cæ	*Nullum honeſtum repugnat legibus,*
ſa	*Furtum omne legibus repugnat,*
re	*Ergo nullum furtum eſt honeſtum.*
Ca	*Omne honeſtum per ſe expetitur,*
me	*Nulla utilitas per ſe expetitur,*
ſtres	*Ergo nulla utilitas eſt honeſta.*
Fe	*Nihil naturæ conſentaneum fugiendum eſt,*
ſti	*Quædam uoluptas eſt naturæ conſentanea,*
no	*Ergo quædam uoluptas non eſt fugienda.*


Baroco

Ba Oĩs ars debet eſſe naturæ & rationi cõſentanea,
ro Magia non eſt naturæ rationiq́ʒ conſentanea,
co Ergo magia non eſt ars.

Vides in hac figura colligi concluſiones tantum negatiuas, modo uniuerſales, modo particulares. In prima figura, quæ et ideo perfectiſſima iudicatur, omnis generis propoſitiones cõſentaneo fidei faciẽdæ ordine colliguntur. G. Quam uocant tertiam ſyllogiſmi figurã? E. In qua terminus medius in utraq; præmiſſarũ ſubiecti loco defungitur: ut nulla honeſtas fugienda eſt, quædam honeſtas eſt periculoſa, ergo quædam periculoſa non ſunt fugienda. G. Quem dimenſionis ordinem uſurpat hæc figura, quiq; eius ſunt modi? E. Ordinem, quo termini mutuo conſtruntur, hoc triãgulo comodè expreſſeris. Modos ferè hos ſex numerant. Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Tertia ſyl. figura.

(Mag.



Col. Ord.


Da Oĩs magiſtratus eſt colẽdus,
ra Omnis magiſtratus eſt ordinatio politica,
pti Ergo quædam ordinatio politica colenda eſt.
Fe Nulla priuata uindicta eſt licita,
la Omnis priuata uindicta eſt iniuriæ depulſio,
pton Ergo quædam iniuriæ depulſio non eſt licita.
Di Quædam uoluptas eſt licita,
ſa Omnis uoluptas eſt ſenſus cuiuſpiam titillatio,
mis Ergo quædam titillatio ſenſus eſt licita.

Da Omne ſcelus eſt puniendum,
ti Quædam ſcelera perpetrantur ex iuris inſcitia,
ſi Ergo quædam ex iuris inſcitia commiſſa ſunt puniendа.

Bo Quædam uoluptas non eſt licita,
car Omnis uoluptas eſt ſuauis in ſenſu motus,
do Ergo quædam ſuauitas ſenſus non eſt licita,

Fe Nulla turpitudo eſt legibus comprobanda,
ſti Quædam turpitudo eſt ſecundum naturam,
no Ergo quędã naturalia nõ ſũt legibus approbãda.

G. Quam facis quartam ſyllogiſmi figuram? E. In qua terminus medius in maiore prædicatur, in minore ſubijcitur. In hac quidem dimenſionis ordo, huiuſmodi triangulo commodiſſime exprimitur.



Omne bonum eſt laudabile,
Omne laudabile eſt honeſtum,
Ergo omne bonum eſt honeſtum.
Ho.

Commutatio 4. figuræ in primam.

Stoicorum hæc eſt collectio, à Cicerone, in de finibus bonorum uſurpata. Fit autem huiuſmodi connexio uſitata, totidem ferè modis, quot prima figura directa: cuius quoq; rationem induit, præmiſsis ſolummodo tranſpoſitis ut in iam aſsignato exemplo, ſi minor ſiue propoſitio ſecunda in maioris ſeu primæ, & hæc uiciſsim in illius locum ſucceſſerit, ſyllogiſmus ſortietur

tur primæ figuræ directæ formam. Hoc nimirum pa*cto:Omne laudabile eſt honeſtum,omne bonum eſt laudabile, ergo omne bonum eſt honeſtum.* Hac ſyllo*giſmi figura ſummi uiri Galenus & Cicero, in diſputationibus tum phyſicis, tum moralibus ſæpenumero utuntur.* Gulielmus. *Teneo equidem figurarum modorumq́; deſcriptionem & numerum: quibus uelim certas quaſi notas atq; partitiones breuiſsimè ſubijcias.* Euerhardus. *Prima igitur figura omnium putatur perfectiſsima, quòd in ipſa & firmiſsimè fiunt collectiones, & omnis generis propoſitiones colliguntur. Conſtat enim ex modis tum uniuerſalibus & particularibus,tum affirmatiuis & negatiuis, qua uarietate omnium ferè propoſitionum diuiſio continetur.Deinde nullus eſt modus primæ figuræ directæ,ex minore negatiua conſtitutus. Poſtremo in hac figura colligi poteſt propoſitio ex materia,tum naturali,tum remota,tum contingenti conſtituta. In ſecunda figura nulla colligitur concluſio affirmatiua,id quod modi indicant eius proprij, qui omnes negatiui ſunt, alij uniuerſales, particulares alij. Secundo in hac figura commodiſsime colliguntur concluſiones ex materia remota (quam uocant) conſtitutæ, hoc eſt, ex terminis repugnantibus. Conſimiliter & propoſitiones quarum termini cōtingenter repugnant. Tertia figura aptiſsima eſt colligendis coniecturis, & propoſitionibus quarum termini non neceſſario, ſed contingenter aut conſentiunt aut inuicem repugnant. Quarta à*

Figurarum modorūq́; regulæ.

Reg.2.fig.

Tertiæ figuræ reg.

nobis poſita figura, totidem ferè, conſimilesq́; conclu ſiones infert, quod prima figura directa. Habet autem *quaſi quandam gradationem, ſoritæ non abſimilem: quare peraccõmodata fuerit, effectibus ex cauſis colli gendis, alijsúe concluſionibus, quæ quaſi gradibus qui buſdam ex præmiſsis conſequuntur.* Vt *omnis uirtus conſiſtit in mente, omnis mens eſt in figura humana, ergo omnis uirtus eſt in figura humana.* Sic *enim a= pud* Ciceronem *Velleius ex* Epicuri *ſententia colli= git.* Poſtremo *in omni modo debet eſſe uel dici de omni, uel dici de nullo: quorum alterum negatiuis, alterum affirmatiuis quaſi regula principiúmue competit.* Hu= *ius regulæ hanc nobis in præſentia liceat uim ſenſumq́; interpretari, ut ſignificet omnem ſyllogiſmum, ex alte ra præmiſſarum uniuerſali, ut minimum eſſe conſti= tuendum.* Eſt *& hæc ratio omnium modorum commu nis.* Ex *altera ut minimum, præmiſſarum affirmati= ua concluſionem inducere.* Vtriuſque *regulæ uim u= ſúmque ita breuiſsime comprehendere.* Ex *ambabus ſiue negatiuis, ſiue particularibus præmiſsis, nulla con cluſio legitime conſequitur.* Guilielmus. Habeo *fi gurarum modorumq́; rationes: qua iam arte utrun= que (figuram, inquam, & modum) quæſtioni pro= bandæ idoneum eligam?* Euerhardus. Hac *ſanè eaq́; facili.* Propoſita *quæſtione ſyllogiſmo colligen= da, primo omnium expendes diligenter, eius tum qua= litatem, tum quantitatem, hoc eſt, affirmatiua ne, an ne gatiua: uniuerſalis ne, an particularis, ſit colligenda*

Cõmunes ſyllogiſ. re= gulæ.

Quartæ fi= guræ reg.

Ratio figu= rã modũq́; quæſtioni probandæ eligendi accommo datum.

propoſitio:

propoſitio. Deinde, ſiquidem tui facultas ingenij tantum ſiret, ſubiecti & prædicati eiuſdem quæſtionis affinitatem explorabis. Tertio, quo tandem medio utrunque dubiæ propoſitionis terminum uelis commenſurare. His ita deprehenſis, aptéque conſtitutis, non difficile fuerit, propoſitioni ſyllogiſmo colligendæ, & figuram & modum conuenientem eligere. Non enim quiduis in quoquo modo figuráue commodè probaueris. Verum hæc de ſyllogiſmo formando tibi præcepta ſufficiant: iam & reliquas argumentationis formas breuiter exequamur. Guilielmus. Quot igitur, & quæ ſyllogiſmo adduntur argumentandi rationes? Euerhardus. Quatuor, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites. Guilielmus. Quæ eſt Enthymematis ratio? Euerhardus. Enthymema Rhetores definiunt, tum argumentum, tum ſchema ex repugnantibus conſtitutum: nos dialecticorum quoſdam imitati, finiemus ipſum, ſyllogiſmum eſſe mutilatum. Nam ex ſyllogiſmo enthymema efficitur, alterutra præmiſſarum ſuppreſſa. Quare ut ſyllogiſmus ex tribus, ita enthymema ex duabus propoſitionibus conſtat: quarum prior, antecedens: poſterior conſequens, receptis iam appellationibus dicitur. Ipſa uero conſequentis ex antecedente, conſecutio atq; connexio, conſequentia tam in enthymemate quàm ſyllogiſmo, nuncupatur. Ad peruidendum, ſequatur ne ex antecedente conſequēs, profuerit ſupplere propoſitionē deſyderatā, & argumētationem ſyllogiſticæ cōnexioni atq; di

Enthymema.

Antecedēs.

Conſequēs.

Cōſequētia

Duplici nomine alterā præmiſſarū in ſyllog. ſupprimi.

menſioni applicare. Reticetur autem ferè duplici de cauſa, altera præmiſſarum: uel quia conſecutio euidentior eſt, quàm ut triplicem illam ſyllogiſticam commenſurationem requirat: uel ſi omnes exprimentur propoſitiones, facilius argumentationis uitium & imbecillitas aduerſario euaderet perſpicua. Prioris exemplum fuerit. Sol exoritur, ergo dies fit, & contrà, dies fit, ergo ſol exoritur. Habent enim cauſa & effectus proprius, neceſſarium, mutuumq; probandi uſum. Poſterioris exempla ſunt huiuſmodi: adoleſcens pallet, igitur amat: bipes eſt, igitur homo eſt. Hic ſi propoſitionem præteritam ſuppleueris, ſtatim & argumenti imbecillitatem prodideris aduerſario. Atque hic nulla fit Ariſtoteli iniuria, qui & ipſe duplicem enthymemati materiam aßignat: nimirum ſigna, tum probabilia, tum neceſſaria. Guilielmus. Quid eſt inductio? Euerhardus. Argumentatio, qua uel ex partibus totum, uel ex ſpeciebus genus, uel certe alia pars ſpeciesue colligitur: ut ſenſus intereunt, & corpus intermoritur, ergo uniuerſa bruti natura mortalis eſt: ut prudentia, iuſticia, fortitudo, & temperantia, honeſti appellatione ueniunt, ergo uirtus omnis moralis honeſtate continetur: Vt cum uel pes, uel crus, uel manus, uel brachium, ita morbo quopiam occupatur, ut nec ſanitati reſtitui poßit, & uicinis membris contagio morbi periculum comminetur, ſectione tolluntur: idem ne capiti faciendum putabitur? Referuntur ſanè ad hanc colligendi formam multiplices rationes, quo-

Inductio.

tus

ties uel communia ex particularibus, uel ſimilia, ex ſimilibus, gradibus quibuſdam demonſtrantur. Eſt enim hæc argumentationis forma, omnium propè artium ipſiusq; adeo philoſophiæ mater, & effectrix, Nam hoc ueluti inſtrumento communia artium ac diſputationũ principia, & ab initio conſtituta ſunt, & in quæſtionẽ uocata fidem obtinent. Guilielmus. Magna ſanè iſta commoditas eſt, & in diſſerendo utiliſsima: Dic igitur quæſo, ex quibus efficiendum ſit, ut huius argumentationis neceſſarius ſit ordo, & certa conſecutio. Euerhardus. Hæc conſtat uel omnium partium, ſeu ſpecierum enumeratione: uel orationis formula, quæ partes ſpecieſue præteritas in uniuerſum complectatur. Vt uirtutum officiorumq́; diſputatio, communibus uitæ rationibus utilis eſt: idemq; de reliquis philoſophiæ partibus ſentiendum eſt. Omnis igitur philoſophia uitæ honeſte degendæ accommodata eſt. Gui. Quid eſt exemplum? E. Argumentatio in qua unum ex alio propter mutuum quendam conſenſum atq; ſimilitudinem inductionis more colligitur: ut Cicero tempus à negocijs publicis liberum, partim iuuandis amicis, partim in philoſophiæ ſtudijs conſumpſit: ergo magni uiri in ocio aliquid agent. Hinc ſanè liquet, exemplum nihil aliud eſſe, quàm inductionem mutilam & imperfectam, non ſecus atq; enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus. Nihil itaq; hac ratione colligitur neceſſario, niſi in perfectæ inductionis formam transformetur. Licebit fortaſſe huc item referre, quæ Rodolphus de cõ-

Vſus inductionis.

Neceſſaria inductionis conſecutio qualis ſit.

Exemplum quid.

paratione copioſe & eleganter diſſerit: niſi ad materiam quam ad formam argumenti referre malis. Guilielmus. Soriten quam definis? E. Argumentationem, ex ordine ſeu gradibus propoſitionum neceſſario cohærentium conſtitutam, in qua ex primæ ſubiecti & propoſitionis ultimæ termini prædicati connexione efficitur concluſio. G. Quotuplex eſt huius rationis materia? E. Duplex maximè, aut .n. ex cauſis effectus gradibus quibuſdam colligitur: aut à ſpecie infima per media genera ad ſupremum aliquod genus conſcenditur. Prioris exemplum fuerit huiuſmodi. Vexatio dat intellectum & cognitionem noſtræ miſeriæ: Cognitio noſtræ miſeriæ eſt neceſſaria ad pœnitentiam. Pœnitentia neceſſario requiritur ad pietatem, Ergo uexatio ſeu afflictio ad pietatem eſt neceſſaria. Poſterioris hoc ſit exemplum. Arithmetica eſt ſcientia, ſcientia eſt habitus intellectiuus, habitus intellectiuus eſt qualitas animi, ergo Arithmetica qualitas eſt animi. G. Quorſum opus eſt hac argumentandi forma, cum eadem concluſio ſyllogiſmo apte colligi poſſit? Euerh. Commodior eſt hæc forma ſyllogiſmo, quoties gradibus quibuſdam ad concluſionem progreditur, tum breuitatis cauſa, tum ratione ordinis. Quare hoc eſt aptum inſtrumentum ſuprema artis genera cum infimis quaſi elementis conferendi. Quod ipſum tametſi pluribus quidem ſyllogiſmis effici poteſt, tamen ordine fit impeditiore & ab artis conſtitutione magis remoto. Guilielmus. Habeo equidem de ſyllogiſmo aliiſque argumentandi rationibus:

Sorites q. l.

Materiam in Sorite duplicem eſſe.

De medio ſyll.

onibus: iam de medio ſyllogiſtico, ut uocant, abs te re‑quiro. Euerhardus. Quod igitur argumentum rhe‑tores, id ipſum Dialectici nuncupant medium ſyllo‑giſticum. Eſt ſanè utrunq;, quæſtioni propoſitæ fidem faciendi inſtrumentum. Aut, ſi idem mauis dici planius, medium ſyllogiſticum eſt terminus ille communis, in quo ueluti regula propoſitionis dubiæ terminus uter‑que, ſubiectus & prædicatus, legitime conferuntur. Hæc nimirum uox differenti id præſtat, quod fabro regula. Nam ſicuti faber, corporum quæ ob pondus ipſa mutuò conferri nequeunt, adbita regula æquali‑tatem uel inæqualitatem deprehendit: ita ſtudioſus quòque adoleſcens in diſſerendo dubiæ propoſitionis terminos ſubiectum & prædicatum tertio metitur uo‑cabulo, explorans qua conditione, uel conſentiant, uel inter ſe pugnent. Quare ſicuti regula quæ al‑teri ut minimum corporum accommodata ſit, uſupan da eſt: conſimili pacto in controuertendo quoq; uox illa, quæ fidei faciendæ inſtrumentum adhibetur, hu‑iuſmodi deligatur oportet, quæ ut minimum cum alte‑ro quæſtionis probandæ termino conſentiat. Gulielmus. Quot medij ſeu tertij conditiones requiris? Euerhardus. Tres, quarum prima ſit: cauendum ne terminus medius deligatur huiuſmodi, qui ad inſtar regulæ Leſbiæ, incertum uariumq; prebeat dimen‑ſionis uſum, ſed eodem ſenſu in omni collatione uſur‑petur. Nam cum dialectica ueram docendi, diſcendiq; rationem profiteatur, ab ambiguis ſibi temperet ne‑

Medij & amußis cõparatio.

De medij conditionibus. 1

ceſſe eſt, neq; polyſimis utatur, niſi ad certum ſignificandi modum finitione grammatica redactis. Ac præſertim in ſyllogiſtica connexione fugienda eſt ſermonis ambiguitas, ne cum ex tribus debeat confici uocibus, quatuor ipſum conſtituant termini. Quod cum ſit, nihil neceſſario ex præmiſsis conſequitur. Hactenus enim ſolummodo ritè ſequitur concluſio, ſi utriq; ipſius termini in uno, & quidem eadem ratione uſurpato uocabulo collati fuerint.
2 cabulo collati fuerint. Altera huius tertij lex eſt, ut ſit uox communis. Nullus enim eſt ſyllogiſmi modus, hoc
3 eſt, forma, quæ conſtet ex medio in diuiduo. Tertia conditio ſit, ut in affirmatiua collectione ſit cognata, cum utróque: in negatiua cum alterutro quæſtionis probandæ termino. Guilielmus. Habeo medij rationem, cámque legibus quibuſdam definitam: iam eius inueniendi modum requiro, cùmque quem mihi ſæpe promiſiſti, hoc eſt, breuem & expeditum. Atque hac in re nolo, ſermonem tuum interpellare, quò & perpetua oratione methodum pertexas commodius, & communi præcipiendi ratione propoſita, ad explicandum reddaris alacrior. Euerhardus. Ad rationē igitur inueniendi medij legitimè breuiterq; conſtituendam, hac uti conſueui methodo. Primum duo in uniuerſum, quod ad inſtitutum præſens attinet, conſtituo propoſitionum genera, quibus in diſſerendo fides quæritur, affirmatiuum unum, negatiuum alterum. In affirmando itaq; opus eſt, uoce quapiam tertia, cū utroq; quæſtionis probandæ termino conſentanea. In negatiuo

Methodica ratio inueniendi medij ſyllog.

gatiuo pronunciato colligendo, terminus medius, cum alterutro tantum quæſtionis termino conſentiet. Ex quibus iam liquido conſtat, fidem themati propoſito fieri, ex uocibus ſibi cognatis. Verum cum & infiniti prope operis foret, omnes uocum omnium cognationes in enumerato habere, & res ſui magnitudine, tenera rudiáque adhuc diſcentium ingenia, ab omni diſſerendi ſtudio, prorſum abalienauerit: ars aliqua & certi quidam indices erant conſtituendi, quorum admonitu, & quaſi ductu, in thematis cuiuſpiam perquirenda cognatione attentum indagatorem nihil effugeret, ex quo præſenti diſputationi fides conſtare poſſet. Atq; hanc facultatem quanquam non ignoramus à dialecticis in plura diductam capita, quæ topica uocant, nos eam tamen in præſentia ad quinq; prædicabilia aſtringemus: ut rem ex paucioribus capitibus atque notioribus conſtituentes, ipſo compendio iuuenilem captum promoueamus: ſuppeditemúſque facultatem expeditam, unde uelut è proximo in formandis ſyllogiſmis medium ſeu argumentum deſumant pueri.

Ex cognatis quæſtioni fidem aſtrui.

Prædicabilia igitur ſupra titulos eſſe diximus, quibus uocum cognationes ſignatè diſtinguantur: non ſecus atque perſonarum cognationes communibus diſcernuntur appellationibus. Vt enim uocabulum patris, filij, nepotis, pluribus unumquodque competit ſimilem rationem obtinentibus: ita genus, ſpecies reliquáque conſimilia, appellationes ſunt, quarum ſingulis uocum conſimilium magnus aceruus com=

Prædicabilia uocum cognatarũ eſſe titulos

Generis ratio. *prehenditur. Generis enim appellatione uenit quæcunq; uox cum alterutro thematis præſentis termino perinde conuenit, atq; parens cum filio ex ſe genito. Ac ut in eadem comparatione oratio perſtet, ſicuti parentum, alij minores, & proximi ut pater: alij maiores ſunt, gradibusq; diſtant, ut auus, abauus, tritauus: ita genus aliud proximum eſt: ut animal ad hominem comparatum: aliud remotum: quale fuerit, ſi corpus aliudue eiuſdem ordinis uocabulum ſuperius cum homine contuleris. Verum hic meminerimus proximo ſemper utendum genere, ad ſpeciei confirmationem.*

Species. *Species contrà, ad genus ſuum relata, ſobolis rationem obtinet. Atq; huius no n alia eſt ratio, quàm ueræ ſobolis: quæ ut in filios, reliquóſque eiuſdem ordinis gradus diducitur, ita ſpecies quoque unius generis plures interim ordine conſtitutæ reperiuntur. Volumus autem hoc loco, nomine ſpeciei, & partis, ſicuti generis appellatione totum uenire.*

Differentia *Differentia tertium prædicabile, eſt appellatio communisq; titulus, uocabuli propriam notam ſignificantis, qua res à ſe mutuò eſſentialiter diſtinguuntur. Hæc aliàs peculiari nomine exprimitur: aliàs accidentium circuitur congerie.*

Proprium. *Proprium eſt titulus communis proprias uocum, agendi facultates, rerumq; functiones ſignificantium. Quanquam, quod ad inuentionem argumenti ſeu medij rationem attinet, haud magno in diſcrimine ſunt habenda proprium & differentia.*

Accidens. *Accidentis deniq; appellatione, magna uocum congeries comprehenditur,*

quæ

quæ fortuitas quaſdam rerum tum notas, tum functiones actusq; deſignant. Iam priores quatuor ſunt tituli uocum, ita cum præſenti themate cohærentium, ut neceſſario ductu aduerſarij fidem emereantur. Accidentia præſertim quæ ſeparabilia nuncupant dialectici, nihil admodum in obtinenda diſputationis controuerſia habent momenti. Deinde quæ appellatione ſpeciei, differentiæ, & proprij ueniunt, mutuas in probando operas tradunt, ut alteri per alterum fides neceſſario aſtruatur. Genus uero & accidens ad ea quorum ratione dicuntur, collata, non ita communicant probandi uſum. Porrò argumentum ut firmiſſimum ita ad docendum maxime accommodatum effeceris, ſi genus differentiàmque thematis propoſiti, coniunctim medij uice uſurpaueris. His ita conſtitutis, ad inſtitutam medij inueniendi methodum redeo. Allata igitur quæſtione argumentatione probanda, prima omnium cura animum ſubeat, ut ſtatim utrumq; eius terminum (ſubiectum & prædicatum dico) ſeorſim per hoſce titulos animo præſenti circumferens, ſtudioſè diligenterq; obſerues, uoces propoſito themati cognatas: hoc eſt, quæ uel generis, uel ſpeciei, uel differentiæ, uel proprij, uel deniq; accidentis appellationem rationēq; induant, ſi ad quæſtionis partes conferantur. Aut (ſi id certius expeditiusq; forē putabitur) per methodi locos ſuprà à nobis deſcriptos conſimili inquiſitionis ordine permea. Vtrumuis horum ſi quis ſedulò fecerit, is nimirum eadem opera, & thematis cognatio

Ratio prædicabilium in facienda fide.

Demonſtrationem nuncupat.

Redutio ad medij inueniendi methodum.

nem prorſum didicerit, & eius probandi explicandiq́; facultate abunde ſeſe inſtruxerit. Nam uerißimum, id eſt, quod uulgo non tam polite quàm ſcienter dicunt: coniuncti cuiuſq; thematis atq; uniuerſalis tractatum, præſupponere cognitionem ſimplicium atq; particularium. Quare propoſitam quæſtionem coniunctam atq; cõmunem, in partes ſpeciesq; ſecabimus, cuiusq́; partis naturam ſeorſum explorantes, iuxta rationem methodi: ac quo plures eius cognationes coegeris, eo & maiore dicendi probandiq́; copia te inſtruxeris. Poſtremo deprehenſa iam materia, delectus quidam iudiciumq́; adhibendum eſt, ne ut quodq́; obuium eſt, ita ſtatim citra diſcrimen in probationem recipiatur: ſed firmißimo potius aliquo fidei inſtrumẽto diſceptationem exordiare, ne ſi imbecillius uſurpes, in primo ſtatim conflictu ab aduerſario ſuperatus, cauſa uel optima cadas. Nam ubi primus congreſſus parum ſucceſſerit, utrũq; euenire ſolet: ut & fidei permultum noſtræ parti decedat: & aduerſario calumniandi cauſam præbeas. Ad uictoriam itaq; peraccommodatum fuerit, à firmißimis rationibus exordiri diſputationem: nimirum quò ut quæq; uox cum præſenti themate arctißimo cognationis uinculo coniuncta uideatur, ita primum in conflictu locum obtineat. Cæterum ſi controuerſiam extrahendam putabimus, id quod in oratione iuſta fieri ſolet, tum & leuibus argumentis, inter robuſta paßim locus accommodatus ceſſerit: ita ut diſceptatio ualidißimis quibuſq; argumentis & inchoetur & claudatur: perinde

Argumentorũ delectũ agendum.

A firmißimis diſputationem inchoandam.

perinde atq; acies prælium initura, à prudente duce inſtrui ſolet. Vult enim Quintilianus, autor grauißimus, idem prope diſputatoris, & imperatoris eſſe conſilium. Guil. *Habeo equidem ſufficienter de argumentis tum inueniendis, tum formandis: iam poſtremum inſtituti ſermonis membrum expecto, nempe uitioſam falſamq; argumentationem diſſoluendi rationem. Dici enim abs te commemini, eiuſdem eſſe artificis, & circumſpectè colligere argumentum, & uitioſas, inq; fraudem ſtructas collectiones diligentia deprehenſas, ſcienter diſſoluere.* Euerhard. *Ad huius rationis tractatum, perpetuam mihi orationem concedas uelim, ne ſi me crebrius interpelles, ſermo noſter uel à propoſito longius euagetur, uel inſtituti compendij fines tranſiliat.* Guil. *Libenter tibi id conceſſero, non equidem audiendi tædio, ſed finis deſyderio affectus: tum ut ſi breuibus rem expedieris, facilius præceptionum meminiſſe poßim.* Euerhardus. *Vitioſi itaq; ſyllogiſmi ſcienter diſſoluendi rationem hac methodo conuenienter expediero. Duo in omni ſyllogiſmo ſpectanda ueniunt, materia, & forma. Materia complectitur tres ſyllogiſmi terminos, totidemq; propoſitiones ex hiſce conſtitutas. Bona quidem materia cenſetur, quæ nec falſa, nec ambigua, nec deniq; ad concluſionem inferendam inualida ſit. Forma eſt ipſa terminorum trium commenſuratio. Atq; hæc legitima habenda eſt, cum nihil recedit à ſupra traditis, figurarum modorumq; rationibus. Iam uero ſicut bonus ſyllo*

Tranſitio.

Ratio diſſoluendi argumentationē uitioſam.

Materia ſyllogiſmi.

Forma ſyllogiſmi.

giſmus materia formaq; legitimis abſoluitur, ita uitio
Vitium *ſus, aut in his ſingulis, aut in utriſq; à colligendi ratione*
materiæ *aberrat. In materia aberrat ſyllogiſmus, cum ex propo*
ſitionibus aut falſis aut ad præſentem quæſtionem ni=
hil accommodatis, aut ambiguis deniq; conſtituitur:
quorum ſecundum ad formæ potius quàm materiæ ui=
Forma *tium retuleris. Porrò in forma, ſyllogiſmus deficiet,*
uitioſa. *quum ipſa terminorum mutua inter ipſos connexio à*
modorum figurarumq; præceptis recedet, ita ut uel ex
præmiſsis ambabus aut negatiuis aut particularibus
communis inferatur concluſio: uel aliter in figura qua
Regula le= *piam colligatur, quàm ipſius modi exigant. Hic igitur*
gitimæ for= *memoria repetendæ ſunt regulæ quas ſupra tradidi=*
mæ. *mus: quales ſunt,*

In prima figura non ſequitur concluſio neceſſario,
ſecunda præmiſſarum negatiua exiſtente.

In ſecunda non poteſt probari quæſtio affirmatiue.

In tertia tantum colligitur particularis quæſtio.

Nulla eſt figurarum in qua ex utraque præmiſſarum
uel negatiua uel particulari concluſio neceſſario con=
ſequatur. Verum conſimilia his obſeruabis, imo gig=
nes ipſe, ſi & figurarum naturam & modorum in
ſingulis figuris, tum qualitatem tum quantita=
tem diligenter tecum expenderis. Quibus
ſic expeditis hoc compendio, & ue=
ram & promptam argu=
menti diſſoluendi
rationem ac=
cipe.

Syllogiſmus delinquēs in
- Materia, diſſoluitur uel.
  - Inficiatione, cum altera præmiſſarum aut utraq; falſa eſt.
  - Diſtinctione, cum termini ſunt ambigui.
- Forma, labefactatur, cum negatur ex præmiſsis effici concluſio: idq; certis allatis rationibus, quòd ſcilicet aliter ſit collectum, quam uel modus uel figura exigat. Sed patefaciamus rem exemplis.

Syllogiſmus in materia peccans.

Omnes poetæ ſcribunt bonos uerſus,
Cherylus fuit poeta,
Ergo Cherylus conſcripſit bonos uerſus: hic inficiationi locus eſt, prima enim ſyllogiſmi propoſitio eſt falſa.

Syllogiſmus in forma delinquens.

Omne malum in arbore naſcitur,
Omne uicium eſt malum.
Ergo omne uicium in arbore naſcitur.
Hic ſyllogiſmus diſtinctione ſoluitur, conſtat enim ex medio ambiguo. Porrò ubi de uocis ambiguæ ſignificatione conſtitueris, aliàs neganda eſt conſequentia, aliàs præmiſſarum altera, ut falſa, repudianda.
Omnis homo eſt animal,
Nullus aſinus eſt homo,
Ergo nullus aſinus eſt animal.
In hoc ſyllogiſmo ex præmiſsis ueris concluſio falſa efficitur. Quare ſi ipſa, quæ legitimam connexio-

nem abſoluunt diligenter perquiſieris, deprehenderis ſanè formam ſyllogiſmi uitioſam: habet enim diſpoſitionem primæ, ſed modum ſecundæ figuræ: ideoq; uitioſa collectio cenſetur. Singulis enim figuris, certi deſtinati ſunt modi, qui in alijs non item ualent. Sed hactenus de ſyllogiſmo: Enthymematis uicium ſic commode deprehenderis, ſi propoſitione, quæ deſyderatur ſuppleta, ipſum formæ ſyllogiſticæ illigaueris. Sic enim fiet, ut ex iam enumeratis rationibus in promptu ſit diſſolutio. Cæterum haud facile Enthymema perficeris, niſi ante perſpexeris utra præmiſſarum ſit diſsimulata: quare & hunc ſcrupulum lubens hoc pacto tibi exemero. Cum terminus concluſionis prædicatus deprehenditur in antecedente, hoc eſt, priore Enthymematis propoſitione, minor ſyllogiſmi requiritur, ut omnes Reipublicæ partes, conſeruandæ ſunt, ergo & religio conſeruanda eſt. Hic minor deſyderatur, Religio eſt pars Reipublicæ. E contrario, ſi ſubiectum conſequentis in antecedente reperietur, certo ſtatues maiorem ſyllogiſmi ſuppreſſam: ut Catilina ſumpſit arma aduerſus Rempublicam, ergo Catilina iure punitus eſt. Hoc modo perficitur, Quicunq; arma aduerſus Rempublicam ſuſcipiunt, iure puniuntur. Verum & hoc loco forte rogabis, qua nam ratione ſtatim deprehendi poßit argumentatio uitioſa: cui ſanè quæſtioni ita ſatis factum uolo: ex ueris non niſi uerum legitimè conſequi tur. Quoties igitur falſa concluſio ex præmißis colligitur, non dubium eſt, collectionem, uel in materia uel

Ratio Enthimematis in ſyllogiſmum transformandi.

Regula iudicandi ſyllogiſmos uitioſos.

in

in forma, uel in utriſq; delinquere. Ideo utrobiq; diligẽti inquiſitione opus eſt, ut argumenti uicium deprehendas. Porrò *inductionis forma reprehenditur, cum aut partes neceſſariæ prætereuntur, aut particula quæ partes præteritas comprehendat, nulla collectioni inſerta eſt. Sic in exemplo reprehenditur conſecutio, cum ex circumſtantiarum rationibus, partium collationis diſſimilitudo manifeſtatur. Sorites item reprehenditur, cum uel ex cauſis remotis, impropijs, aut non ſufficientibus colliguntur effectus: uel ex partibus aut ſpeciebus remotis, ſecundarijs aut alienis, ad totius, generiſúe rationem progreditur. Verum hæc de uera ſolutione abunde ſufficiant. Eſt & alia non tam diſſoluendi ratio, quàm eludendi argumentum: qua non rei, ſed imperito aduerſario ſatisfieri ſolet: ac proinde uulgo ad hominem ſolutio nuncupatur. Huius tres numerantur formæ, Prima eſt quaſi recriminatio, cum uel par uel grauius quippiam regerimus, hic tamen locum habeat uulgo iactata ſententia, Allegare inconueniens, non eſt ſoluere argumentum. Huc item citra piaculum retuleris, & apud dialecticos inſtantiam, & apud iuris conſultos exceptionem. Porrò huius formæ exempla in libellis apologeticis paſsim ſunt obuia. Secũdus elabendi modus eſt, uel extenuare id quod tanquã atrox obiectum eſt, uel quaſi à re præſenti alienũ, riſu explodere. Atq; hic requiritur ingenium peruicax, & tantum nõ improbum, quod nõ facile pudore uincatur. Poſtrema ratio eſt, ut digreſſus à præſenti quæſtione, auditori alia*

Inductio uitioſa. *Exemplum uitioſum.* *Sorites delinquens.* *Solutionis, quam ad hominẽ uocãt tres eſſe modos.* 1 2

rum rerum commemoratione tenebras offundas, q̃uo uel inſtituti planè obliuiſcatur: uel argumento ſibiq; ſatisſactum credat. Hæc ſanè quandoquidem ad docendum nihil uſus conferant, haud uſurpanda duxero, niſi cum nihil in promptu erit, quo uel rei, uel litigioſo aduerſario poßit ſatisfieri. Nam quando ut uolumus non licet, ut poſſumus tamen efficiendum eſt, ne uel parum exercitati, uel in themate præſenti minus eruditi eſſe uideamur. Quanquam alicubi & honeſte licebit his rationibus uti, cum in cauſa bona & iuſta, ab aduerſario quippiam obijcitur, quod ſplendide dilui nequeat. Contingit enim id uel in cauſis optimis, ut huiuſmodi aliquid in crimen uocetur, quod ita diſſoluere haud poßis, ut auditorum beneuolentiam emerearc. Cæterum de his plura diſſerere, inſtituti compendij ratio nõ permittit: reliquas itaq; artis dialecticæ præceptiones, aliud in tempus reſeruabimus, dum & mihi ocij, & uobis ingenij plus contigerit. Guil. Recte mones præceptor, utriuſq; igitur nomine, gratias ago tibi maximas, quod & te ubiq; promptum facilemq; præbueris: & obſcuris ocioſisq; artis præceptionibus neglectis, eas rationes perſpicua breuitate collegeris, quarum cognitio in diſcendis profeßionibus magnopere eſt neceſſaria.

Solutione ad hominẽ quatenus utendum.

FINIS.